336

SPECIMEN JURIS PUBLICI BELGICI

INAUGURALE,

EXHIBENS QUÆDAM,

DE

POTESTATE GUBERNATORIS GENERALIS RES ET TERRITORIA SOCIETATIS BATAVÆ, IN INDIA ORIENTALI, DIRIGENTIS.

SURPLUS DUPLICATE

6
Copy

SPECIMEN JURIS PUBLICI BELGICI
INAUGURALE,

EXHIBENS QUÆDAM,

DE

POTESTATE GUBERNATORIS GENERALIS RES ET TERRITORIA SOCIETATIS BATAVÆ, IN INDIA ORIENTALI, DIRIGENTIS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

FRIDERICI BERNARDI ALBINI,
A. L. M. PHIL. AC MED. DOCTORIS, ANATOMES, CHIRURGIAE, AC MEDICINAE PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu, et*
Nobiliſſimae FACULTATIS JURIDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus ac Privilegiis rite & legitime conſequendis,

Publico ac Solemni examini ſubmittit

D. J. CANTER CAMERLING,
HARLEMO-BATAVUS.

Ad diem IV. *Aprilis* MDCCLXXVIII. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD P. VAN DER EYK ET D. VYGH, 1778.

RBR
C182P

V I R I S

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS

ADRIANO CANTER VISSCHER, J.U.D.

AD COMITIA PRÆPOTENTIUM FRISIÆ ORDINUM LEGATO. AGRO DANTUMADANO, IN FRISIA, PRÆFECTO (*Grietman over Dantumadeel*). INTER COLLEGII ARCHITHALASSICI MOSANI CONSILIARIOS, UTI ET SOCIETATIS INDIÆ ORIENTALIS MODERATORES, QUONDAM RELATO.

AVO MATERNO, PLURIMUM VENERANDO, OMNI, QUO NEPOTEM DECET, AMORE AC PIETATE, AD CINERES USQUE, DILIGENDO, HONORANDO, COLENDO.

NEC NON

CONRADO PESTALOZZI CAMERLING, J.U.D.

ILLUSTRI COLLEGIO, QUOD VIIS ET AGGERIBUS BAMÆSTRÆ CURANDIS PRÆEST, ADSCRIPTO (*Hoogheemraad van de Beemſter*). ET SOCIETATIS INDIÆ OCCIDENTALIS OLIM MODERATORI.

PATRUO ÆSTUMATISSIMO, OMNI HONORE ET REVERENTIA PROSEQUENDO,

S A C R U M.

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

http://www.archive.org/details/depotestateguber00came

L. B.

Si quod datur ſtudiorum genus præſtantia ſua maxime commendandum, illud ſane utiliſſimum jure merito vocatur, quo Civis Patriam ſuam noſſe, veramque ejus conſtitutionem cognitam perſpectamque habere incipit. Hoc, inquam, ſtudiorum genus, quod Jus Publicum Speciale audit, nulli Jurisprudentiæ parti profecto ſecundum, fideliter ac ſedula addiſcere cura, ſi alios, eos imprimis decet, qui Patriam vero ſe amore proſequi aſſerentes, privatis publicisve rebus intenti quandoque bene de ea mereri, ſummo optant deſiderio; qui, dum in Patria ſua natos, educatos, formatos ſe gloriantur, omnem ei vitæ epocham, juventutem, ætatem maturiorem, ſenectutem conſecrare ſtudio deſiderant ardentiſſimo. Hinc aliquam, neque exiguam, temporis Stadio Academico conſtituti partem hæcce ſtudia ſibi non injuria vindicant. Ne in forum, aut curiam, illotis, ut ajunt, manibus, omni experientia deſtituti juvenes progredi, ſibique nulla in re fidem habere auſi aliorum dicta, conſilia, monita,

im-

improvidi ſequi, potiusque cum pluribus malle errare, quam cum paucis ſapere, neceſſe habeant. Quod, ſi uspiam, præcipue in fortunata hac noſtra Patria uſus eſt haud exigui: ubi quæcunque publice agantur, cœco ducti fervore probare, Regisve, Comitisve acta ſervili modo deoſculari non cogimur, uti ante natam Rempublicam Libertatis publicæ oppreſſoribus arriſit; ubi omnia examinare, ſuamque ſententiam modeſte quandoque proferre, nulli vitio fertur, ſed libere atque impune conceditur; quin & inter officia refertur.

Ex hac juris parte hauſta eſt, quam tibi offero, B. L., qualiscunque hæc diſſertatio; quam benigne, quæſo, accipias. Ex variis inaugurali Specimini aptis, cur hæc materies mihi placuerit, forte erit, qui miretur ſed facile patiar, quemquam mirari delectum, dummodo huic admirationi laboris, quem impendi, benevola quorumdam ſuccedat approbatio. Vale.

SPE-

SPECIMEN JURIS PUBLICI BELGICI INAUGURALE

EXHIBENS QUÆDAM

DE

POTESTATE GUBERNATORIS GENERALIS RES ET TERRITORIA SOCIETATIS BATAVÆ, IN INDIA ORIENTALI, DIRIGENTIS.

§. I.

Inſtitutio Societatis Batavorum Indiæ Orientalis, admodum proficua Reipublicæ.

Cum ſoli in India rerum potirentur Luſitani, quæſtumque ex eo, quo gaudebant, monopolio uberrimum perciperent (1), Noſtrates mercaturæ, jam ab antiquo inde tempore, toti quanti ſeſe dantes, multas variasque merces, quas India larga manu ſuppeditat, ex Portugalliæ Regno petere, ac per univerſas Europæ Regiones longe lateque diſpergere conſueverant; donec Belgis infenſiſſimus

(1) Conf. H. GROTIUS *Hiſtor. L.* II. *p.* 426. *Hiſtoire Phil. & Polit. des Etabliſſements & du Commerce dans les deux Indes Tom.* I. *L.* 2. *Le Commerce de la Hollande Tom.* I. *Cap.* 2. *La Richeſſe de la Hollande Tom.* I. *C.* 3. *p.* 38. *Tegenwoordige ſtaat der* VEREENIGDE NEDERLANDEN I. *D. p.* 426.

ſimus Hiſpanorum Rex, PHILIPPUS II., cui non ſufficiebat crudelitatis, feritatis, atque injuſtitiæ ſuæ his in oris non peritura monumenta poſuiſſe, omnia Belgarum bona Lisbonæ publicari juſſerit, ejusque incolis omni cum rebellibus, quos vocabat, commercio interdixerit. Unde factum eſt, ut mercatores noſtri, magna commercii ſui parte hoc modo deſtituti, ad ingens iſtud damnum reparandum animum ſtatim applicuerint, & recta via ſuis navibus Indiam petere conſtituerint. Sed multa erat in re adeo periculoſa circumſpectione opus; deërant enim, qui viam noverant, periti nautæ; deërat ſatis certa commercii bene inſtituendi notitia; Hiſpanorum claſſis, licet plus una vice jam debellata, prædæ inhians ubique aderat, ſuasque & Portugallorum, eidem tunc temporis Regi ſubditorum, naves tuebatur. Hinc ſolitam, quam ſciebant, per Bonæ Spei Promontorium, ſequi viam non auſi, alio curſum dirigere tentarunt, atque iter in Indiam Orientalem per mare glaciale aperire iterum iterumque conati ſunt (2).

Cum autem hæc minus feliciter ſibi ſuccedere viderent, animum audentiamque ceperunt, ut, HOUTMANNO duce, quatuor naves Texela emiſſas, per tritam a Portugallis viam, in Indiam expedirent; quibus reverſis, omnibusque ſic ſatis e voto procedentibus, ſæpius ſæpiusque eandem ire redire viam perrexerunt: ut Batavorum fama in diſſitis iſtis regionibus jam maxime inclaresceret. Tandem providi Patriæ noſtræ Patres, re ſerius deliberata, de Societatis mercatorum Indicæ neceſſaria inſtitutione cogitarunt, varia ex privata hac navi-

(2) Vid. GROTIUS *l. c. Vaderlandſche Hiſtorie 9. D. p. 147.*

navigatione incommoda profluere intelligentes. Privatarum enim Societatum diverſi infirmique conatus obniti perpetuo non poterant Hiſpanorum viribus; qui cum Portugallis omnem lapidem movebant, ut ſuis hoſtibus illud lucrum interciperent. Quod conſilium quoquo modo effectui dare nitebantur. Aperte enim noſtrates adoriebantur, quin & ingenti claſſe viginti, & quot excurrit, navium, anno inſtitutionem Societatis proxime præcedente, mercatores noſtros, DONNA ANDREA HURTADO DE MENDOZA duce, in India invadebant; quam tamen claſſem maximo noſtro bono feliciter fugare nobis contigit. Nec ſufficiebat aperta manu nobiscum congredi; ſed maxime operam dabant, ut clam nobis nocerent, dolus enim exiſtimabant an virtus fuerit, quis in hoſte requirat. Hinc, ut ex multis unum allegem exemplum, ACHEMUM, Regem Sumatræ, qui piratarum ac prædatorum colluviem eſſe noſtros clamitabant, adeo inſtigarunt, ut plurimos de commercii veniis & libertate cum ipſo colloquentes violenta morte de medio tollere non dubitaverit.

Ne igitur ſinguli, calamitatibus acceptis, ab auſu hoc difficili, mercaturam, Batavæ Reipublicæ præcipuum fundamentum, ibi latius extendendi, in poſterum deterrerentur; aut, uti factum eſt, ſocietates diverſæ in unam erant confundendæ, aut tota Reſpublica recens natam ſenſimque accreſcentem navigationem claſſe bellica, ac per milites ſuo ſtipendio alendos, defendere debebat; erat enim vis vi repellenda, impedimenta impedimentis opponenda. Verum qui vel a limite Hiſtoriam nobis Patriam ſalutarunt, optime norunt, non ea fuiſſe Anno 1602. Reipublicæ tempora, ut utile poſſet videri, rem aleæ adeo dubiæ tantique momenti ſuſcipere. Grave enim

bellum terra marique committebatur, cujus mole laborabat Reſpublica, etiam tum, cum res proſpere gererentur.

Videtur itaque hoc titulo ſatis commendata Societatis inſtitutio (3). Accedit porro non omittenda hominum, mercatorum præſertim, inſignis æmulatio, qua ſinguli lucri faciendi occaſionem occupant aliisque occurrunt. Unde factum fuit, ut aliquando naves ad hanc illamve oram appellentes, re infecta, alio tendere cogerentur; quæ, non remota vel contingens, ſed proxima erat & neceſſaria cauſſa, quare rerum pretia illic accenderentur, hic contra imminuerentur (4): quod quam pernicioſum & quanto opere evitandum ſit, nemo, niſi ultro cæcutiens, non videt.

Tandem Indicarum rerum periti, omni exceptione verius affirmant, maxime proficuam eſſe negotiationem, qua merces variorum Indiæ locorum ibi quotidie permutentur. Ne itaque ab hac parte quæſtum nobis alii Populi, poſitis ibi ſedibus interciperent: erant ibi territoria expugnanda, expugnata regenda, fœdera cum Regibus Indicis facienda, bella gerenda, paceſque ineundæ: quæ omnia, ne dicam ea privati juris non eſſe (5), ſinguli, ſuo Marte, ſine aliorum auxilio, perficere non poterant. Jure merito itaque Fœderati Belgæ judicarunt, præſtare unam formare Societatem, eique poteſtatem concedere, poſ[illegible] ſeſſio-

(3) VATTEL *droit des Gens L. 1. C. 8. §. 97.*

(4) H. GROTIUS *Hiſt. L. 11. p.* 429. DU BOIS *Vies des Gouverneurs Generaux des Indes. Introduct. p. 8. La Richeſſe de la Hollande l. c. p.* 39.

(5) Vid. *infra* §. 11. & *Edictum OO. GG.* quod *ibidem N.* 53. allegavi & *La Richeſſe de la Hollande Tom.* 1. *Cap.* 6. *p.* 354. *in fin.*

ſeſſiones Indicas occupandi, tenendi, regendi, & mercaturam maxime commodam iſtic faciendi, ac quæſtum, ſive ex dominio publico earum poſſeſſionum, ſive ex commercio, colligendum, in ærarium conferendi; non Belgarum Fœderatorum commune, ſed eorum, qui huic Societati ſubſcripſiſſent, ut deinceps inter ſocios diſtribueretur. Ita die 20 Martii Anno 1602. Societas Indiæ Orientalis, quæ adhucdum hodie ſupereſt, fuit inſtituta, & dato ab OO. GG. in annos viginti & unum privilegio, multis eminentioribus inſtructa juribus (6).

§. II.

OO. GG. inſtitutam Societatem defendendam ſemper crediderunt, & contra æmulos tutati ſunt.

Quam ob memoratas ſimilesque rationes, publicam omnes ſalutem ſpectantes, inſtituendam putaverunt OO. GG., Societatem Indiæ Orientalis maxime ſociis & toti Reipublicæ profuiſſe evinci facile poteſt. Quod autem affert, duplex eſt lucrum. Primo enim ſociis, qui ſymbolam quisque ſuam contulerunt, recta via prodeſt, ampliſſimos reditus inter ipſos diſtribuendo (7); atque ita oblique non parum utilis Rei-

(6) Confer. H. GROTIUS. *l. l.* WICQUEFORT *Hiſt. des Prov. Unies L.* 1. *p.* 19. *Le Commerce de la Hollande Tom.* 1. *C.* 2. *pag.* 71 & 87. HALMA *Tonneel der Vereenigde Nederlanden T.* 2. *p.* 126. voce. OOST-INDISCHE COMPAGNIE, *Vaderlandſche Hiſtorie* 9. *D. p.* 147. VAN MEETEREN 8. *D. p.* 146. & privilegium Anno 1602. datum *Groot Pl. Boek* 1. *D. p.* 530. *La Richeſſe de la Hollande l. c.*

(7) HALMA *Tonneel der Vereenigde Nederlanden T.* 2. *p.* 125. narrat ſocios jam

Reipublicæ videtur, cum ejus cives pecuniæ, ſolidiſſimi mercaturæ fundamenti, ſic ſatis magnam, per ejus circulationem, conſecuti copiam, commercii ſui fines longe lateque poſſint extendere. Præterea multis opus eſt operariis ad navium in Indiam mittendarum conſtructionem, ad omnia præparanda, quæ ad eas inſtruendas neceſſario requiruntur: hi igitur omnes hoc modo quæſtum ex hac Societate faciunt ingentem. Denique, ne longus ſim, computetur pecuniæ ſumma, quam in publicum ærarium contulit Societas, quoties, conceſſi privilegii tempore elapſo, ejus continuationem impetravit. Nec omittantur oportet 364 florenorum millia, quæ, præter 8 tormenta bellica, quotannis pro vectigalis, mercibus importandis exportandisque impoſiti, redemptione ſolvuntur, atque inter Collegia Archithalaſſica diſtribuuntur (8). Tandem non video, cur negligeremus divitias, quæ ex Indiæ finibus in Patriam reportantur, dum incolæ opes iſtic collectas ad Patrios Lares reverſi læte conſumunt, vel ad ſuos hæredes propagant.

En unam alteramque partem utilitatis, quam Belgio iſtæc affert Societas, quam ideo jure merito conſervandam exiſtimarunt OO. GG., quamque ſæpe contra æmulorum eam evertere conantium molitiones maſcule defenderunt, ejus cauſſam non tantum contra exteros, ſed & a [illegible] con-

---

anno 1605. accepiſſe ex Societate 15 pro 100; anno 1606, 75; anno 1607, 40; anno 1608, 20; anno 1609, 25; anno 1610, 50; anno 1613, 37; qui plura cupit adeat *Le Commerce de la Hollande Tom.* 1. *C.* 2. *pag.* 110. & *La Richeſſe de la Hollande Tom.* 1. *C.* 5. *p.* 161 & 183. *Tegenwoordige ſtaat der* VEREENIGDE NEDERLANDEN 1. *D. p.* 430. N. 5.

(8) *Le Commerce de la Hollande Tom.* 1. *C.* 2. *p.* 116. *Conventie van den* 15 *Maart* 1700. *met Haar Hoog Mogende aangegaan: Groot Pl. Boek* 5. *D. p.* 1532.

contra civium, ſuam aliquando ſalutem publicæ præponentium, maleſana conamina ſuſcipientes.

§. III.

Contra exteros Societas ſæpius fuit defenſa.

Jam Anno 1608., cum Hiſpani inducias nobiſcum facere propoſuiſſent, & Hagæ de conditionibus, quibus hoc fieret, acerrime ageretur; OO. GG. bellum diſſolutioni Societatis præferendum exiſtimarunt; & initio Anni 1609, Antverpia ad colloquendum ac de pace, vel induciis, agendum conſtituta, adeo propoſiti ſui fuerunt tenaces, ut Hiſpanorum Legati tandem cedere debuerint, teſte *Art. 4. & ult.* iſtarum induciarum (9). Ita &, brevi annorum ſpatio interjecto, contra Anglos tuitus eſt immortalis noſter HUGO GROTIUS ejus Societatis jura. Anno nempe 1613. Legati munere functus in Anglia, Sociorum cauſſam defendens plurimum de ipſis meritus eſt (10). Cum porro Anno 1641. Portugalli, jugi a PHILIPPO II. iis impoſiti impatientes, PHILIPPI IV., Regis Hiſpaniæ, imperium excuſſiſſent, Ducemque Bragantiæ, JOANNEM IV., Regem creasſent, fœdus nobiſcum inierunt, in quo ſummam noſtræ Societa-

(9) *Vaderlandſche Hiſtorie 9. D. p. 326. ſeqq.* & *p. 433. Groot Pl. Boek 1 D. p. 55.* VAN MEETEREN 9. *D. p.* 348. *ſeq.* & 10. *D. p.* 73 & 98.

(10) Confer. H. GROTIUS *Verandwoording der Wett. Reger. van Holl. Cap.* 19. *p.* 190 & 197. BRAND *Leven van H. de Groot* 1. *D. p.* 45. *Vaderlandſche. Hiſtorie* 10. *D. p.* 7.

tatis rationem habitam fuiſſe, patet ex *Art.* 2 & 3. ejus fœderis (11). Præſertim autem ejus cauſſa ſuſcepta eſt tempore colloquiorum de pace Monaſterienſi componenda, uti eſt videre ex *Art.* 12 & 13. mandati ab OO. GG. Legatis dati (12), atque *Art.* 5. ipſius inſtrumenti (13). Sic poſt multas variasque, Anglicam inter Belgicamque Societatem Indicam, controverſias, tandem ea de re ſolemni fœdere Anno 1674. eſt transactum, cautumque, quantum fieri potuit, ne in poſterum tot lites orirentur, ac ſi forte inter ipſas non conveniret, ne ſtatim ad arma recurreretur, ſed controverſia inter utrumque Populum, quam citiſſime, placide componeretur (14).

Hæ ſunt, quantum novi, præcipuæ præcedentis ſæculi epochæ, quibus OO. GG. nil reliqui fecerunt, ut hanc tuerentur Societatem, ex qua tot commoda in Rempublicam redundare animadverterent, quamque maxime eſſe fructuoſam vel ſolus æmulorum concurſus ſatis ſuperque demonſtraret. Ut autem pateat, neque hoc noſtro ſæculo ipſam eſſe neglectam, præcipuas, quibus ejus patrocinium ſusceptum eſt, occaſiones, quantum potero breviſſime, recenſebo.

Si quis unquam, certe Annus hujus ſæculi primus fœderibus, quibus Gentes Europeæ ſeſe conjunxerunt, fuit celeberrimus (15). Hoc itaque tempore & Indicarum poſſeſſionum ſuarum curam habere non deſierunt

OO.;

(11) *Vaderlandſche Hiſtorie* 11. *D. p.* 311. *ſeq. Groot Pl. Boek* 1. *D. p.* 119.

(12) AITZMA *Zaaken van Staat en Oorlog* 6. *D. p.* 106.

(13) AITZMA *eod. p.* 535. *Groot Pl. Boek* 1. *D. p.* 83.

(14) *Vaderlandſche Hiſtorie* 14. *D. p.* 339. ubi memoratur *de Hollandſche Mercurius Anni* 1675.

(15) *Vaderlandſche Hiſtorie* 17. *D. p.* 91. *ſeqq.*

OO.; facto enim inter LEOPOLDUM Imperatorem, Regem Brittanniæ, & OO. GG. præclaro Fœdere, (*de groote Alliantie* dicunt) Hiſpanis obicem in India ponere, ac Gallis aditum eo præcludere, ſumma ope tentarunt (16). Iterumque anno 1713. a Gallis ſtipulati ſunt, ne ſuam in India mercaturam latius, quam huc usque factum eſſet, extenderent (17). Et ſequenti anno cum Hiſpanis, quæ pace Monaſterienſi conſtituta erant, renovarunt (18). Præcipue autem notandus videtur *Art.* 26. *tractatus limitanei*, ut vocant, quem anno 1715. nobiscum fecerunt Imperator Carolus VI., & Rex Magnæ Brittanniæ, in quo diſertiſſimis verbis dicuntur confirmari ea, quæ circa Belgium Auſtriacum, in Pace Monaſterienſi, inter Philippum IV., qui tum ejus Belgii multa loca poſſederat, & Belgas Fœderatos in totum, vel pro parte, ſtatuta erant (19). Hic autem articulus, uti & ipſa pax Monaſterienſis, palmarium fuerunt argumentum, quo Belgæ ſuam petitionem de Societate Oſtendana, anno 1719. inſtituta, abolenda defenderunt, juſtitiamque ſuarum querelarum meridiana luce clarius demonſtrarunt, & ipſam quoque abolitionem tandem impetrarunt (20).

§. IV.

(16) Vid. inſtrumentum hujus fœderis *Art.* 6 & 8. *Groot Pl. Boek* 5. *D. p.* 431.
(17) *Art.* 32. Pacis Ultrajecti compoſitæ *Groot Pl. Boek* 5. *D. p.* 465.
(18) Vid. *Tractaat van Vreede, Commercie, Navigatie en Marine, tuſſchen Spanje en den Staat, geſlooten te Utrecht* den 29 Juny 1714. *Art.* 10. *Groot Pl. Boek* 5. *D. p.* 511.
(19) Vid. inſtrumentum hujus tractatus, apud LE CLERC *Geſchiedeniſſen der Vereenigde Nederlanden* 1. D. *in fin.* & *Groot Pl. Boek* 5. *D. p.* 522.
(20) *Vaderlandſche Hiſtorie* 18. *D. p.* 265. *ſeqq.* ubi Hiſtoria inſtitutionis hujus Societatis copioſe enarratur, præcipuæque ob eam controverſiæ, Belgas inter & Germanos, enumerantur. Angli etiam, hanc Societatem Oſtendanam ſibi admodum noxiam fore optime intelligentes, nobiscum omnes nervos intenderunt, ut quanto ocius aboleretur, quod non, niſi poſt magnos utrimque motus, tandem feliciter ſucceſ-

§. IV.

Cautelæ, quibus cautum eſt, ne cives Societati obeſſe poſſent.

Patet itaque, quantopere OO. GG. in hujus conſervatione elaboraverint, eamque, contra variorum Populorum, illi nocentes, nociturosve conatus, ſartam tectamque præſtiterint. Requiritur, ut & digito attingamus, qua ratione in ipſa Patria ejus florem promoverint, omniaque, quæ in ipſius detrimentum tentarentur, ſummo ſtudio averterint. Latiſſimo ſcilicet privilegio jam ſtatim, cum naſceretur, in annos viginti & unum ipſam donarunt, omnibusque, qui huic Societati non intererant, interdixerunt, ne iſtas oras petere, eamve mercaturam exercere, ipſiusque proinde Societatis commercium, vel ſinguli, vel conjuncti, ſubvertere conarentur; quod, elapſo quovis conceſſæ veniæ ſtatuto tempore, in hunc usque diem renovare non deſtiterunt (21). Mox

ſit. Qui cognoſcere cupiunt, quæ ab utraque parte allata fuerint argumenta, & quomodo res ſit compoſita, conferant *Vaderlandſche Hiſtorie l. l. & 19. D. p. 72. Hiſtoire Philoſ. & Polit. Tom.* 2 *p.* 164. *Diſſertation, ou l'on prouve le droit excluſif de la Comp. des Provinc. Unies au Commerce & a la Navigation des Indes Orient., contre les pretenſions des Païs-Bas Eſpagnols ou Autrichiens.* Diſſertatio Cll. BARBEYRACII Gallice conſcripta, cui titulus: *defence du droit de la Compagnie Holl. des Ind. Orient. contre les Nouvelles pretenſions des habitans des Païs-Bas Autrichiens.* & *Diſſertatio Conſultiſſimi a* WESTERVEEN JCti ac Societati noſtræ eo tempore a Conſiliis & ſecretis. Vid. & placitum OO. GG. d. 19 Junii 1723., quo, novæ iſti Oſtendanæ Societati indirecte nocendo, noſtræ prodeſſe, ſumma ope nitebantur.. *Groot Pl. Boek* 6. *D. p.* 1390.

(21) Primum iſtud privilegium qui conferre volunt, adeant WAGENARIUM *Vaderlandſche Hiſtorie* 7. *D. p.* 148. & *Groot Pl. Boek* 1. *D. p.* 530. ejus autem reno-

Mox omnes Belgiæ cives juſſi ſunt, ne in nautarum numerum apud Gentes exteras ſeſe referri paterentur (22). Ita enim ſæpe eveniret, ut nos ipſi peritos nautas deſideraremus, ut ſolis tyronibus noſtræ naves forent inſtruendæ, cum nonnulli, tyrocinii tempore præterlapſo, majori mercede allecti aliorſum ſe conferrent, ut ita fructus, quos nos ſevimus, alii Populi noſtro damno carperent. Prudenti quoque conſilio vetitum eſt, ne quis Belga in aliam, quam quæ hic viget, Societatem ſymbolam conferre auſit, ne ſcilicet, quod recta via facere non poterat, obliqua, dum aliis prodeſſet, noſtræ noceret (23). Porro cuivis interdixerunt, merces, per quas illæ, quas Societas in Patriam importat, miſcendo corrumpantur, aliunde advehere (24). Tandemque, ne quis, quocunque modo nomen ſuum apud Societatis noſtræ Moderatores profeſſus ſit, quique ejus ſtipendio alatur, ipſam deſerat, atque ad æmulos transfugiat, gravi pœna ſtatuta, prohibuerunt (25).

§. V.

Quæritur, an Societatis conſervatio adhucdum ſit neceſſaria.

Varias, quæ Societatem hanc inſtituere, continuare ac defendere ſua-

---

novatio videre eſt *in 't Groot Pl. Boek, eod. pp. ſeqq.* & 4. *D. p.* 1324. *ſeqq.* 6. *D. p.* 1397. *in fin.* & 1. *D. p.* 547, 551. 2. *D. p.* 1323. 5. *D. p.* 1534.

(22) *Groot Pl. Boek* 1. *D. p.* 548.

(23) *Ibid.* 4. *D. p.* 1326. *ſeq.*

(24) *Ibid.* 1. *D. p.* 562. 3. *D. p.* 1309.

(25) *Ibid.* 1. *D. p.* 559.

ſuaſerunt, cauſſas vidimus. Alias eſſe generales ac perpetuas, alias ſpeciales, eique tempori, quo orta eſt, accommodatas diximus. Examinemus jam, an adeo ſint mutata tempora, an adeo erraverint, qui continuatam ejus exiſtentiam tuiti ſunt; ut eam hodie deferendam eſſe cum quibusdam ſtatuere debeamus. Quod ut rite fiat, quædam pro, quædam contra eam differere, a re mea non alienum fore exiſtimavi, ut, audita quaſi utraque parte, ſolide judicari poſſit, utrum mea qualiscunque, an diſſentientium, potior ſit opinio. Mihi itaque eo videtur cunctis enitendum eſſe viribus, ut ne quis unquam eam turbet; ut quisque ejus decus ac florem pro virili promoveat, ut ea proinde, cum privilegio, quod vocant, excluſivo, firma ſtare, atque incuſſo ſemper talo niti pergat. Novi quidem dari, qui ejus adminiſtrationem, qui regiminis formam, ut ita dicam, mutandam eſſe cenſent (26). Verum hanc quæſtionem intactam atque illibatam relinquendam eſſe, atque ejusmodi controverſiis, meum non eſſe, me immiscere, exiſtimo. Hoc ſane indubitatum ſcio, graviores plerasque mutationes in Rebuspublicis numquam fere ſine atrocioribus fieri controverſiis: quod publicæ rei vix utile dici meretur. Et nemini jus quæſitum facile eſſe auferendum agnosco (27): quod ſi fiat, quot & quanta mala inde enascantur, ſic ſatis omnis ævi docet hiſtoria. His itaque omiſſis, ad examen theſeos noſtræ ſine mora procedamus.

§. VI.

(26) Confer. *Le Commerce de la Hollande* Tom. 1. C. 2. p. 98.

(27) Conferri de hac materia poteſt elegantiſſima Diſſertatio nuper edita a *Doctiſſimo* FREMEAUX de *Juribus quæſitis, ſubditis a Principe non auferendis.*

§. VI.

Allegantur argumenta continuationem Societatis ſuadentia.

Nullus, ni fallor, mecum non conſentiet, ſi oſtendero, ſublata Societate, actum & conclamatum fore, ſi non ſtatim, brevi ſaltem de omni cum Indis commercio, cujus utilitatem nemo, quod ſciam, in dubium vocet. Videamus itaque, an difficultates in hac negotiatione obviæ a privatis continuo ſuperari poſſint? Merces ſcilicet ex India huc deferri ſolitas ex locis ſex milliariorum millibus hinc diſſitis petendas eſſe, quis ignorat? Stato demum tempore eas oras peti, atque inde ſolvi poſſe, quis inficias ibit? hinc duorum circiter annorum ſpatio opus eſſe, ut navis, quæ hinc ſolvit, in patrias oras revertatur, quis non videt? Quotusquisque autem ex mercatoribus ingenti pecuniæ ſumma, quæ ad navem tantæ molis inſtruendam, nautas per totum illud tempus alendos, merceſque ibi colligendas, requiritur, tamdiu carere poterit? Præterea ſtatim, atque naves ibi appellunt, merces, quas quisque deſiderat, ejusdem valoris, eadem quantitate, in promptu ſemper fore, quis præſumet? Hinc & naves ibi per aliquod tempus commorentur, & alium aliumque portum quandoque viſitent, oportet. Quæ omnia exercitoribus maxime nocere, nunquam vero prodeſſe poterunt. Incolæ porro iſtorum locorum, qui merces huc deferendas præparant, conficiunt, colligunt, pauperes plerique mercede ſtatim indigent, petuntque tertiam ejus partem ſimul, atque manus operi admovent, alteram ubi ad medium attigerunt, reliquam

tempore traditionis (28). Hinc ibi habitent, qui res agant (*Agenten* vocant) neceſſe eſt, qui divitiis non deſtituti illic merces undique collectas, ne qua fraus iis ſubſit, metiantur, numerent, examinent, atque operariis, ſtatuto tempore, mercedem perſolvant. At forte quis objiciet, nihil ab iſta parte metuendum eſſe, facile enim tales ſeſe oblaturos neceſſariis inſtructos opibus, qui ſedes in India collocent, ibique omnia, quæ ſine ipſis peragi non poſſunt, ſeduló ac fideliter curare velint. Sed credat Judæus Apella, non ego; qua, obſecro, veri ſpecie quis ſibi perſuadet, divites, qui hic placide ac tranquille vivunt, ſuisque opibus tuti ac ſecuri utuntur, qui mos ſic ſatis ubique apud nos invaluit; divites, inquam, Patrios Lares relicturos, ut in oris ejusmodi longinquis ab induſtria & fide noſtrorum mercatorum unice dependeant? En igitur difficultates, quas ſingulorum utique non eſt ſuperare. Hinc plures forent faciendæ Societates minores, de quibus poſtea videbimus.

Nec parum pro nobis faciunt ſequentes veriſſimæ, omnique dubio majores regulæ; nempe, quo plures alicubi ſint emptores, ſuam, non communem, utilitatem ſinguli quærentes, eo magis emendarum rerum pretia crescere; & contra, quo plures adſint venditores, eo magis pretia minui. Unde prono alveo fluit, conceſſa cuivis libera in Indiam navigatione, (ponendum autem privatos hoc jure ſuo uti) data, inquam, libere in iſtis oris mercandi venia, plures ibi fore emptores, ergo carius ement; hic plures adfore venditores, ergo de- [illegible] cres-

(28) Vid. *Hiſtoire Philoſ. & Polit.* Tom. I. p. 277.

creſcent pretia. En damnum inevitabile. Hinc aliter fieri non poteſt, quin idem illud, quod ſupra (29) jam retulimus, GROTIUM (30) dixiſſe, ut inſtitutionem Societatis, anno 1602. inchoatam, neceſſariam probaret, & hodie ad demonſtrationem noſtræ theſeos jure merito applicari poſſit. Licet enim tempora mutentur; adeo tamen homines in illis non mutantur, ut mercatores ſuo tantum commodo ac lucro inhiare deſtituri, ſibique invicem, ut olim, quæſtum intercipere non tentaturi ſint. En aliud, niſi totus errem, incommodum, totius commercii, dempto privilegio, ruinam involvens: quod & per plures Societates minores ineundas averti non poſſe, quisque ultro percipit, niſi & illæ invicem conjungantur; quo caſu ad univerſalem Societatem nonne iterum foret recurrendum, mutata tantum adminiſtrandi methodo? quæ idcirco ſi excluſivo privilegio non muniretur, in idem iterum æmulationis vitium incideremus.

Tandem omni exceptione majus argumentum, priusquam contrariæ ſententiæ patronos audiamus, adducere lubet. Quis, quæſo, mihi non dabit, admittendum eſſe antiquitus jam receptum proverbium dicam, an veriverbium, experientiam optimam eſſe rerum magiſtram? Conſulamus itaque vicinum nobis Galliæ Regnum, ubi nimiæ atque importunæ libertatis propugnatores, præ ſe ferentes, quaſi omnes ſubditi eam maxime appeterent atque ardenti cupidine conſequi anniterentur, eo rem perduxerunt, ut privilegium Societati ſuæ olim datum revocaretur: recepta enim erat opinio, aperto mari, ubique lo-

(29) Vid. *ſupra* §. I. p. 4. Not. 4.
(30) *Hiſtor.* L. II. p. 429.

locorum ſtatim adfuturas naves mercatorum Gallicas, privatorum induſtriam, quod publica non potuiſſet, facile effectui daturam, Indicumque commercium ad ſummum ita floris faſtigium perventurum. Sed quantopere eventus inanem hancce ſpem ac cerebrinam utilitatem fefellerit, hodie unicuique conſtat (31). Plura idcirco addere ſupervacaneum fore arbitror. Stet itaque hactenus noſtra, quam demonſtravimus, pro Societate retinenda ſententia.

§. VII.

Examinantur dubia, quæ nobis objiciuntur.

Qui tamen adverſariorum caſtra ſequuntur (32), multa dubia noſtræ aſſumptioni movere non deſinunt. Ita enim ratiocinantur: cum ad-

(31) Factum narrat auctor ſupra laudatus *Hiſtor. Philoſ. & Polit.* Tom. 2. p. 292. *ſeq.* his verbis: „ *on ſait maintenant a quoi ſe reduiſſent dans le fait toutes ces ſpe-* „ *culations vagues ſur la puiſſance de l'induſtrie humaine & ſur les effects de la liberté.* „ *Deux vaiſſeaux s'expedient pour Chine, mais que de ſacrifices & d'efforts n'a-t-il* „ *pas fallu que fit le Gouvernement, pour exciter les armateurs. Il a fallu leur prêter* „ *tout armés & grées deux vaiſſeaux, d'ont on ne payera point le frêt, & a la charge ſeu-* „ *lement de les rendre a leur retour dans l'etat ou ils ſe trouveront: faveur qu'ils ont eux* „ *mêmes evalué a près de huit cens mille livres pour les deux armemens. Bien plus. il a* „ *fallu leur promettre encore, de n'accorder les mêmes avantages a aucun autre negociant,* „ *& leur aſſurer ainſi le plus fort de tous les privileges. D'un autre côté les deux arma-* „ *teurs ont ſenti la neceſſité de ſe reunir pour eviter leur concurrence reciproque & pour* „ *ne faire qu'une ſeule & même operation*".

(32) Vid. *Hiſtoire Philoſ. & Polit.* Tom. 2. p. 176. ubi Societate quidem, ad mercaturam cum Indis recte exercendam, opus eſſe ſtatuit, ſed inutilem eſſe privilegii excluſivi conceſſionem. Plura dubia examinata occurrunt *ibid.* p. 250. *ſeqq.* *Le Commerce de la Hollande* Tom. I. C. 2. p. 87. Confer. *Tegenwoordige Staat der* VEREENIGDE NEDERLANDEN I D. p. 513.

admodum neceſſaria ſit cuicunque regioni mercatura, poſito hodierno rerum ſtatu (olim enim ea non admodum curabatur, cum prædis & interdum rapinis nimium dediti eſſent, bellisque continuis ſeſe implicarent Populi): cum hodie ad florem Reipublicæ cujuscunque, præſertim Batavæ, mercatura omnino requiratur; cum commercium non poſſit florere, ubi nimium reſtringatur, ſed liberrimum ejus, quomodocunque lubet, exercitium civibus concedendum ſit; cum hæc omnia ſint omni exceptione veriora, nulla privilegii excluſivi, quod utique hanc libertatem limitat, conceſſio ulla veri ſpecie defendi poſſe videtur, & omnis monopolii exercendi venia cum ſanioribus Politicees regulis conciliari non poſſe videtur. Duriſſimum enim eſt ac pernicioſum totum Populum exponere teneriori aut ſæpius laxiori, ut ajunt, conſcientiæ monopolarum, a quibus ſexcentis modis, ſeu pretio, ſeu rei præſtantia, defraudari poteſt. Verum probatu difficile non foret, miſere eos decipi atque infeliciter ratiocinari, qui tam vehementer ſine ulla exceptione, licet pio forte moti conſilio, contra omne monopoliorum exercitium declamant, eaque ſemper impugnanda, eorumque auctores atro carbone notandos conviciantur. Per hæc enim, ſi prudenter impertiantur, induſtria remuneratur, ſtudia compenſantur, juſta labori rependuntur munera; per hæc quandoque data opifices, docti, ingenioſi incitantur, ut in commune bonum junctis viribus operentur; dum ita operæ, laboris, ſolertiæ induſtriæque impenſorum æqua mercede potiantur. Dantur deinde caſus, ut ille, in quo verſamur, quibus neceſſario talia privilegia ſunt concedenda. Cum enim negotium, quod eſt ſuſcipiendum, talis indolis, tantæ extenſionis, aleæque tam ancipitis

ac dubiæ ſit, ut ſinguli illi incipiendo non ſufficiant, ſed vel ipſe Summus Imperans, vel ditiſſimi multi privati conſociati, illud audere debeant: tum Princeps recte aget, ſi ad illud remedium recurrat: tum Principis eſt cavere, ne ſinguli hoc aggrediantur, ipſique ſe & ſocios paria conando perdant ac peſſumdent (33).

Porro objiciunt, qui nobiscum non faciunt, liberam eſſe, vel ſaltem non adeo reſtrictam, Americam verſus navigationem: pari itaque ratione & liberum requiri in noſtro caſu commercium. Fateor ejusmodi argumentandi methodum, qua ex uno ſingulari aliud colligitur propter rationem ſimilem, prima fronte maxime homines faſcinare ſolere, fateor eam captui cujuscunque eſſe accommodatiſſimam. Verum dubito, an ſit ſatis certa probandi ratio, cum maxima ſæpe adſit factorum vel circumſtantiarum diſſimilitudo, quæ facillime, niſi debita adhibeatur attentio, confunduntur. Jam quis ignorat, ſummam eſſe utriusque Societatis diſſimilitudinem? Quis non perſpe-

ctum

(33) Fateor tamen hic ſumma opus eſſe attentione eaque non temere nec ſæpius eſſe concedenda, atque imprimis cavendum eſſe: 1°. ne plura impertiantur: 2°. ne perpetua, ſed in tempus limitata, quo finito, deliberari poſſit, utrum proroganda an deneganda ſint: 3°. ne facile in tali re, qua cives ad vitam ſuſtentandam plane carere non poſſunt: 4°. ne ſine conditione, ut monopolæ in rebus neceſſariis pretium, ſatis inſigne quidem, ſed ne enorme exigant: 5°. ne ſine ſufficienti ratione concedantur. Hæc ſi negligantur, abuſus oritur, quem non defendimus, propter abuſum autem uſum non tolli regula eſt notiſſima ſimul & veriſſima. Conferri poteſt de hac materia BIELFELD *Inſtit. Polit.* Tom. 1. C. 13. §. 30. & C. 14. §. 46. *ſeq.* audiamus & CANZIUM in *Diſcipl. moral.* §. 3867. ubi ait „ *graves incidere cauſſæ poſſunt, ut integris Societatibus monopolia concedantur. Hoc pacto enim plures acquirere ſolent, unde vivant, quam ubi omnes in unum utilitates confluunt: teſtes ſunto* „ *Societates Batavorum Orientales & Occidentales* ". MONTESQUIEU *l'Eſprit des* „ *Loix* Tom. 2. L. 20. C. 10.

ctum cognitumque habet, quanto Societas Orientalis Occidentalem poſt ſe relinquat intervallo? Hujus enim commercium arctioribus inclusum eſt cancellis; non adeo longinqua hujus eſt navigatio, quam illius; pleraque, ut brevis ſim, quæ de illa aſſeruimus, ad hanc nullo modo poſſunt applicari. Cum ergo diverſorum ſit diverſa ratio, huic dubio non eſt, quod diutius immoremur (34).

Allegatur & contra nos, duo vel tria, & quot excurrit, florenorum millena millia per hanc Societatem ex Republica quotannis exportari; quæ nunquam ex India redeant; quod ingens damnum eſſe affirmatur. Videamus, an & reſponſio ſatis congrua nobis ſuppetat. Scilicet merces huc delatæ inter noſtros mercatores bis quotannis diſtrahuntur; noſtrates eas omnes conſumere atque intra Belgii fines retinere non ſufficiunt. Hinc vicinis remotioribusve Populis quamplurimæ venduntur. Pecuniam itaque, quam amiſit Reſpublica, ſic ſatis largiter ab aliis lucratur. Rectius autem quis aſſereret, univerſæ Europæ inde quid damni imminere, cum nummi hinc ad oras iſtas transmaritimas tanta copia transmittantur. Id quod commercium Indiæ in genere potius, quam noſtram quæſtionem, impugnaret. At nec hoc procedere, ſequenti modo recte forte oſtenditur. Nimirum antiquitus, cum iſtæc hodie ubique fere recepta emendi vendendique conſuetudo, nondum invaluiſſet, permutatione ſola homines ſuæ occurrebant indigentiæ. Poſtea, ingraveſcente contractuum celebrandorum frequentia, iſte permu-

(34) Qui interim plura deſiderat, adire poterit ſæpius laudatum auctorem *le Commerce de la Hollande* Tom. 1. C. 2. p. 87.

mutandi mos juxta menſuram indigentiæ plurimis cum difficultatibus luctabatur; haud raro enim contingebat, ut huic, cum re quadam egeret, quam alter habebat, invicem ea non eſſet, quam alter ille vellet accipere (35). Hinc plerisque gentibus, quibus amplior vitæ cultura arridebat, pretium aliquod eminens certæ rei fuit imponendum, ad quod ceterarum rerum pretia vulgaria erant dimetienda, & in quo eadem eminenter continerentur.

Idcirco quærenda fuit materia huic fini obtinendo aptiſſima, atque inter varia, quæ dantur, maxime idonea eligenda; cui hæc requiſita inerant: 1°. ut eſſet materia non ita frequens, nec ita comparatu facilis: 2°. præſtans & ſolida, ſic ut uſu non cito deteratur, vel igne aut aqua (veluti corium, ſal,) ſtatim deſtruatur: 3°. dividua in partes ſine detrimento totius valoris: 4°. cuſtodiæ & translationi apta (36). Hæc itaque in auro atque argento potiſſimum adeſſe merito putaverunt omnes cultiores Populi. Cum autem unum ex his abſit requiſitis, ejusmodi materies pretio eminenti conficiendo aptiſſima dici non poſſet. Si igitur argentum, quod vel præſertim in Indiam mittitur, quod & majori copia, quam aurum, ex Occidente in Europam defertur, ſi argentum, inquam, ſublata in Orientem illud transferendi conſuetudine, hic lo-

(35) Egregie hoc deſcribit PAULUS in *L.* 1. *D. de contrah. empt.* & elegantiſſime pecuniariæ rei originem indicant PUFEND. *de Jure Nat. & Gent. L.* 5. *C.* 1. §. 12. COCCEJUS in *Comment. ad* H. GROTIUM *de J. B. & P. L.* 2. *C.* 12. §. 17. PILLICHODY *le Droit Naturel d'un Pere a ſon fils* Tom. 1. C. 14. p. 273. ſeq. MONTESQUIEU *l'Eſprit des Loix* Tom. 2. L. 24. C. 1. CANZIUS in *Diſcipl. Moral.* §. 2138. *ſeqq.*

(36) Confer. MONTESQUIEU *l. l. C.* 2. CANZIUS *l. l.* §. 2140. & PUFEND. *l. c.* §. 13.

locorum nimis frequens exiſteret, neque ita rarum, ut in primo requiſito exigitur, nec ita comparatu difficile foret, memorato defectu utique laboraret.

Unum ſupereſt, quod examinabo, argumentum, omnia enim allegare ac refutare nec opus eſt, nec fieri poteſt. Multi, ajunt, nautæ, multi milites, multique alii, qui Societati operas præſtant in Indiam ſingulis mittuntur annis; quorum magna pars jam in ipſo itinere, maxima ibi locorum interit. Unde Urbes Patriæ depopulantur, multitudinem autem ſubditorum cujusque regionis florem haud parum augere, vix quisquam negabit. Equidem concedo magnam hominum multitudinem eo mitti, quorum multi in Patriam nunquam revertuntur. Dolendum utique eſt, tot homines ibi vitam cum morte commutare; laudanda propterea eorum diligentia, qui cauſſam hujusce mali quærere ac remedia ei adhibenda diligenter proponere non detrectant. Sed plurimi, qui nautis ſe adſcribi atque inter milites referri patiuntur, ſunt peregrini; ab his ergo nihil detrimenti Respublica capit. Præterea, qui has oras deſerunt, ibi Societati, quam vidimus eſſe utiliſſimam, inſerviunt. Inde creſcit navigatio ac mercatura, per quas Patriæ Urbes vigent. Unde alienigenæ multi, teſte experientia, hic ſuarum fortunarum ſedes collocant, atque huic detrimento ſic ſatis ſupplent. Jam reliquis, quæ poſſent moveri, dubiis ſuperſedebo, concludens noſtram videri ſtare ſententiam & contra præcipuas objectiones, quantum ſatis eſt, defenſam eſſe retinendam (37).

§. VIII.

(37) Qui ſingulatim cujusque territorii, quod in India poſſidemus, ſtatum & lucrum, quod ex eo percipitur, cognoſcere cupit, conſulat VAN MEETEREN 9. D. p. 250.

§. VIII.

De regimine Societatis in India.

Ipſum orationis filum jam eo nos deduxit, ut commode utraque Societatis regiminis forma, quæ hic in Patria, quæque in oris iſtis transmarinis obtinet, conſiderari pluribusque explicari poſſet. Sed, quoniam animus magis eſt ea tractandi, quæ in ipſa India fiant, ea, quæ in Patria hac de re ſtatuta ſunt, non attingam. Rei enim cuivis notæ cur diutius foret immorandum (38)? Septemdecim igitur Moderatores, qui hic omnia dirigunt, auctoritate OO. GG. in India plurima inſtituerunt Collegia, alia majora, alia minora; quorum ſupremum eſt Senatus Regens (*Raad van Indie*), cui interſunt univerſæ Indiæ Gubernator, ei ſemper præſidens, Director Generalis, & quinque Conſiliarii; quibus duo, quandoque etiam quatuor, aut plura adjunguntur membra extraordinaria. Tum ſequitur Senatus Judiciarius (*Raad van Juſtitie*) novem conſtans judicibus ordinariis, quos inter unus præſidio fungitur, alter vicem Præſidis excipere atque idcirco Vice-Præſidis titulo olim ſolebat inſigniri; quod tamen Vice-Præſidis munus poſt annum 1709. abolitum eſt. Deinde memorandus eſt Senatus Civilis, quem Prætor & Scabini conficiunt, eo-

p. 350. & *Rapport veritable fait aut Etats-Géneraux, par* DANIEL BRAëMS *Teneur de livres a Batavia &c., concernant l'Etat de la Compagnie aux Indes Orient. Le Commerce de la Hollande Tom.* 1. *p.* 342. *ſeqq.*

(38) Conf. *Le Commerce de la Hollande Tom.* 1. *C.* 2. *p.* 98. VAN MEETEREN 8. *D. p.* 147. *ſeqq.* & *Tegenwoerdige Staat der* VEREENIGDE NEDERLANDEN 1. *D. p.* 437.

eodem fere modo, ut in noſtris urbibus obtinet. Tandem rebus minoris momenti, cauſſis trecentorum florenorum ſummam non excedentibus, decidendis præfectus eſt Senatus Minor, in quo tales controverſiæ abſque ulla appellatione de plano judicantur (39). Hæc ſunt præcipua, quæ Bataviæ reſident, Collegia, tum Politicæ, tum Judiciariæ rei curandæ præpoſita. Dantur & alia quædam, multique Societatis miniſtri, Gubernatorum aliisque titulis conſpicui, qui inſulis ceterisque territoriis, ad Societatem pertinentibus, regendis præficiuntur, qui ſimul ſumpti totum veluti corpus Regiminis Indici componunt. Inter omnes autem, quibus Indiæ cura committitur, præcipue notari meretur Gubernator, qui dicitur, Generalis totius Indiæ, cujus jura, utpote ampliſſima, & officia, utpote graviſſima, paucis examinare in animum induxi. Cum autem viderim dari, qui, ubi de ejus poteſtate agunt, eum Regia Poteſtate pollere affirment (40), vel vera Summi Imperantis criteria in eo reperiri exiſtiment, ut hos facilius convincere poſ-

ſim

(39) Qui plura cupit adeat *Tegenwoordige Staat der* VEREENIGDE NEDERLANDEN I. *D. p.* 451. *ſeqq.* JANIÇON *Etat Préſent de la République des Provinces Unies Tom.* I. *C.* 12. *p.* 354. *ſeqq.*

(40) Audiamus VALENTYNIUM *Beſchryving van Oud en Nieuw Ooſt-Indien L.* 4. *P.* I. *p.* 263. ubi in poteſtatem Gubernatoris Generalis inquirens ita ait: „ *met een woort die Heer is de Koning des Lands, die Keyzers en Koningen van Jndien* „ *na de oogen zien, en die door zyn bloote magt in ſtaat is, om hen op den Troon te zet-* „ *ten, of van dezelve afteſtooten* ". Alii ſummi Imperii attributa Societatis Moderatoribus adſcribunt, quos & ſuo loco refutabo. Fateor quidem Valentynium hoc eo ſenſu non dixiſſe, quaſi revera putaret Gubernatorem Indiæ, verum eſſe Regem; ſed vagis ejusmodi locutionibus, ubi de jure alicujus agimus, non delector. Vidi & ipſe legi epiſtolam cujusdam Gubernatoris ad ſeptemdecim Societatis Moderatores, in qua Majeſtatem, (*Souverainiteyt*) diſertis verbis allegabat. Ejusmodi improprie loquendi phraſes, ſi minus noſtrates, exteros facile in errorem inducere poſſent: unde eos refutare operæ pretium videtur.

ſim; utque amplitudo Poteſtatis Gubernatoris Generalis vera pateat, quædam de criterio Summi Imperii, ac de notione magiſtratus ſubjungere decrevi, quod ut breviſſime fiat, a controverſiis omnino abſtinebo.

§. IX.

Datur definitio Summi Imperii, & ejus criteria indicantur.

Definitionem Summi Imperii præmittere uſus erit haud exigui, ut pateat, quisnam vere iſto gaudeat ex multis, qui dantur Rerumpublicarum, Civitatum Rectoribus. Variam hanc proponunt Juris Publici Scriptores; audiamus BURLEMAQUI, dicentem eſſe jus abſolute atque independenter aliis imperandi (41); & THOMASIUM, qui illud definit, eſſe Summam Poteſtatem dirigendi actiones civium & cum iis, qui extra Rempublicam ſunt, nomine Civitatis, negotia pacifica pariter & bellica ſuſcipiendi ad obtinendos Civitatis fines (42): CANZIUS hunc Summum Imperantem vocat, in quem cives ſuas voluntates pariter ac vires reſignant (43): H. GROTIUS illum, cujus actus alterius juri non ſubſunt, ita ut alterius humanæ voluntatis arbitrio reddi poſſint irriti (44).

Videtur itaque per *Summum Imperium* eſſe intelligendam *Summam a Populo in Principem collatam, nullique ad rationes reddendas obnoxiam, poteſtatem, univerſas ſingulorum ſociorum actiones quovis*

mo-

---

(41) BURLEMAQUI *Principes du droit Politique P.* I. *C.* 7. §. I. videatur & Auctor libri, cui titulus, *des Corps Politiques & leurs Gouvernement L.* I. *C.* 12. *p.* 126.
(42) *Inſtit. Juriſpr. Divin. L.* 3. *C.* 6. §. 115.
(43) *In Diſcipl. moral.* §. 1109 & 1167.
(44) *De J. B. & P. L.* I. C. 3. §. 7. N. I.

modo, adhibitis etiam remediis maxime violentis, ita regendi, ut eas communi bono convenienter dirigant (45). Unde ſequitur, duplex eſſe Summi Imperii criterium, 1°. ut habeat poteſtatem rectoriam univerſalem, 2°. ut nemo tanquam ſuperior rationem eorum, quæ a Principe acta ſunt, exigere poſſit. Hoc enim ſi dematur, actum erit de ampliſſima hac facultate, efficacia determinandi remedia, quibus bonum commune junctis viribus cives curare debeant: tum Princeps nunquam foret certus, num, quæ adhibuit media, Populus, approbaturus eſſet, nec ne; cum exteris utique pacta ac fœdera inire erubeſceret, continuo metuens, ne facta ſua forte damnarentur: tum omnia forent in Civitate dubia, ſimulac Princeps ab eo, iisve, cui, vel quibus rationem reddere deberet, diſſentiret, (ſæpiſſime autem evenit, quot ſint capita, tot eſſe ſenſus) jurium proinde atque officiorum nulla foret certitudo. Quod quam noxium ac Civitatum ſaluti adverſum ſit, quisque intelligit, qui duplicem fuiſſe Societatis Civilis ineundæ finem ſtatuit, majorem ſcilicet ſecuritatem, majoremque felicitatem, quam in Statu Naturali conſequi detur (46). En duplicem Summi Imperii notam, quæ ubi adeſt, tuto concludere licet, Summo aliquem eſſe inſtructum Imperio; ſi deſit, quin contrarium recte dicatur, non eſt quod dubitetur. Aliorum opinionibus me non immiſcebo, meam, ni fallor, probaſſe ſufficit (47).

§. X.

(45) Confer. *Doctiſſimi* FREMEAUX *d. Diſſ.* §. 5.

(46) Ita me docuit Cl. PESTEL, Præceptor æſtumatiſſimus, cujus ſolidiſſimis inſtitutionibus me per quinquennium interfuiſſe impenſe gaudeo, cui ob diverſa in me collata beneficia plurimum me debere, ac ſemper fore devinctiſſimum, publice profiteor. Conferantur Cl. Viri *Fundamenta Jurisprud. Natur.* §. 129 & 325, uti & *Oratio de bono communi Lege civitatum prima.*

(47) Conferri interim poſſunt GROTIUS *de J. B. & P. L.* 1. *C.* 3. §. 7.

Pu-

§. X.

De notione Magiſtratus.

Poteſtate itaque rectoria univerſali gaudentis Summi Imperantis eſt, totam adminiſtrare Rempublicam, omnesque ejus partes accurate regere. Quis autem ſibi poterit perſuadere, cuncta ampliſſimæ Civitatis negotia, tam belli, quam pacis tempore, occurrentia exſecutioni ab uno, vel paucis hominibus dari poſſe? niſi ope atque auxilio in multis utatur aliorum, qui ipſius vice controverſias civium examinent, componant, dirimant, qui vicinorum conſilia explorent, milites gubernent, opes Civitatis colligant & diſpenſent, ac denique utilitati diverſarum totius Reipublicæ partium undique proſpiciant. Hinc cogitur Summus Imperans ejusmodi miniſtros, magiſtratus qui dicuntur, variis negotiorum publicorum generibus præficere, ad officium rite peragendum compellere, & neceſſaria, qua ad provinciam ipſis tra- di-

Pufend. *de Jure Natur. & Gent.* L. 7. C. 6. §. 2. & *de off. H. & C.* L. 2. C. 9. §. 1 & 2. Hutcheson *Philoſophia Moralis* L. 3. C. 5. §. 5. *des Corps Politiques & leur Gouvernement* L. 1. C. 20. p. 142 & 143. Thomasius *Inſtit. Juriſpr. Divin.* L. 3. C. 6. N. 116, 117 & 118. Canzius *in Diſcipl. moral.* §. 1189. *ſeqq.* Burlemaqui *Principes du droit Politique* L. 1. C. 7. §. 2 & 5. Noest *'t Algemeen Staats-regt* L. 1. C. 3. §. 7. & Huber *de Jure Civit.* L. 1. *Sect.* 3. C. 1., qui omnes nobiſcum ſentiunt. Auctor libri, cui titulus, *'t public Gebedt*, probaturus Summum Imperium eſſe penes OO., non GG., ſed ſingularum Provinciarum in Belgio Fœderato, 1. *D.* 4. *Cap.* enumerat varia jura majeſtatica, quibus dictos OO. inſtructos eſſe docet. Ergo colligit, eos vere Summo gaudere Imperio. Verum, licet in Theſi quodammodo conſentiam, illam tamen probationem non ſufficere exiſtimarem; quis enim non vidit, & quotidie videt, plura majeſtatica jura a Magiſtratibus, quin & a privatis, exerceri.

ditam recte curandam indigent, auctoritate inſtruere, ſub ea tamen nunquam negligenda lege, ut ne unquam geſtorum rationes, quandocunque Principi lubeat, reddere detrectent.

Magiſtratus igitur eſt *perſona moralis publica*, *quam Princeps conſtituit*, *ut partem aliquam Imperii majorem*, *vel minorem*, *ipſius auctoritate*, *ſub conditione rationum reddendarum*, *exerceat* (48). Ex qua definitione evidentiſſimum eſt, magiſtratum nihil ſua, ſed omnia Principis auctoritate peragere, qui univerſa ejus acta probare, vel reprobare poteſt; ejusque poteſtatem omnino eſſe dependentem, ac modo ampliorem, modo minorem; id quod ex voluntate deferentis, vel expreſſa, vel tacita, unice colligendum eſt.

§. XI.

Apud quem reſideat totius Indiæ Imperium Summum.

His poſitis, rejectisque falſis eorum opinionibus, qui in Summo Imperio definiendo ambiguo nominis ſono, aut rerum externarum ſpecie decipiuntur: ea, quæ indicavimus, principia ad noſtram quæſtionem erunt applicanda, atque oſtendendum, neque Gubernatorem Generalem cum Senatu ſuo Regente, ut quidam arbitrantur, neque Moderatores Societatis Indicæ, ut alii exiſtimant, in territorium iſtud tranſmaritimum vera majeſtate fulgere. Eſt quidem, quod fatemur, Gubernator Generalis, ſed non Supremus Imperans. Omnem enim privilegiorum ju-

(48) Vid. Pufend. *de Jure Nat. & Gent.* *L.* 1. *C.* 1. §. 12. & *L.* 7. *C.* 3. §. 24. *de Offic. Hom. & Civ.* *L.* 2. *C.* 7. §. 6.

juriumque ſuorum ambitum debet Moderatoribus, qui imperium iſtud univerſale, permiſſu atque auctoritate OO. GG., ipſi deferunt (49). Præterea Ordinibus iſtis Generalibus, ut vero ſuo Summo Imperanti, ipſisque Moderatoribus, cum eligitur, fidelitatis præſtat ſacramentum, eorum decretis ac juſſui ſe obtemperaturum ſpondet, atque ſimul Imperii faſces, ac Moderatoribus iſtud lubeat, depoſiturum, & prima ſtatim occaſione Patriam repetiturum, ut ipſis geſtorum rationes reddat, jurato promittit (50).

Ita & ipſa quoque Societas, vel ejus Moderatores, licet omnes Indiæ magiſtratus, omnesque omnino incolæ iis fidem obedientiamque jurare teneantur, Summi Imperantis titulum nullo tamen jure uſurparent. Præterquam enim, quod omne ipſorum jus a dato privilegio pendeat, quod ſine intermiſſione in hunc usque diem conceſſum ſine ulla injuſtitiæ ſpecie negari atque aliis dari poſſet. Unde conſtat eos ab OO. GG., quibus rerum ſuarum ſtatum, tertio quoque anno (51), aperire atque exponere tenentur, utique eſſe dependentes; adeo quidem,

(49) Id quod *ſupra* §. VIII. jam indicavi, ac probatum volo per *Art.* 35. privilegii. *Groot Pl. Boek* 1 *D. p.* 535; diploma, quo ejus munus continetur (*Commiſſie- of Laſt-Briev*), ſi Valentynio fides eſt habenda, ab OO. GG. & Septemdecim Moderatoribus ſignatum accipit. Vid. VALENTYN *Oud en Nieuw Ooſt-Indien* 4. *D.* 1. *ſtuk p.* 263. Vi cujus diplomatis idem Auctor *l. c.* narrat, P. KOENIUM Moderatorum litteras accipere, iisque obedire, recuſaſſe; niſi eas in Concilio OO. GG. lectas eſſe, ſibi conſtaret. Id quod tamen ægerrime tulerunt Moderatores, teſte DU BOIS *vies des Gouverneurs Generaux des Indes p.* 34.

(50) Conferri poteſt formula Sacramenti, quod præſtat Gubernator Generalis, cum munus ſuum auſpicatur. *Groot Pl. Boek* 2. *D. p.* 1307.

(51) Vid. privilegium ejusque varias continuationes *in 't Groot Pl. Boek* paſſim, *le Commerce de la Hollande Tom.* 1. *C.* 2. p. 109. & *la Richeſſe de la Hollande Tom.* 1. *C.* 6. *p.* 158. *ſeq.*

dem, ut, cum Anno 1749. Gubernatori noſtro hereditario Wilhelmo IV., & Anno 1766. Wilhelmo V. jura præcipui Moderatoris ac Gubernatoris ſui Generalis detulerint, non tantum conſenſerint, ac rem geſtam approbaverint OO. GG., ſed & ſibi reſervaverint, poſſe formulæ juris & officii ipſi traditæ aliquid addi, eamque explicari, non aliter, quàm expreſſo ipſorum Ordinum conſenſu. In quæſtione autem, quando quis vere Summam Poteſtatem, ſeu Imperium habere videatur? non inſpici debet, quis eam exerceat, ſed cui inhæreat; inhæret autem ei, qui eam jure proprio habet: ſi enim alterius nomine & jure eam exercet, vicarius ſaltem eſt, officialis, ac nudus miniſter, & inſtrumentum alterius: atque inde non Summa Poteſtas (52). Adde, ejusmodi ſtatum in ſtatu Reipublicæ Batavæ conſtitutioni apertisque legibus e diametro fore oppoſitum.

Summa enim Poteſtas omnis, quod Singularum Provinciarum limites excedit, territorii eſt penes OO. GG., quorum eſt commune curare totius Reipublicæ bonum. Porro Belgis quidem licet, quovis tempore naves inſtruere, ac privato quoque ſumptu terras atque inſulas, in mari nondum occupato, novas detegere. Quin & Edicto, jam anno Sæculi præcedentis decimo quarto, Ordines ipſos ad ejusmodi na-vi-

(52) Coccejus *in Comm. ad* H. Grotium *de J. B. & P. L.* 1. *Cap.* 3. §. 10. Eodem fere redit ratiocinium Auctoris *des Corps Politiques Tom.* 1. *L.* 4. *C.* 6. *p.* 386. ubi ait: „ *On trouve ordinairement dans un Corps politique bien reglé trois ordres* „ *principaux de magiſtrats: le premier eſt de ceux que l'on appelle improprement Souverains.* „ *Ce terme, qu'un mauvais uſage a établi, veut-dire ſimplement ceux, qui par leur rang* „ *ſont au deſſus de tous les autres. Aucun magiſtrat ne leur commande, ils commandent à* „ *des magiſtrats au deſſous d'eux*".

vigationes, quæ incognitas & a Populis Europæis nondum occupatas terras reperiendi cauſſa inſtituuntur, ſuscipiendas hoc incitarunt præmio, ut quater eo, mercaturæ cauſſa, iter facere ſolis inventoribus permittatur, gravi pœna in eos ſtatuta, qui hoc illorum jus violare audeant; verum nihil amplius juris in iſtas regiones conceditur. Non licet privatis hujusmodi terras, ſeu inſulas, occupare. Statim OO. GG. hujus inventionis certiores ſunt faciendi, uti citatum hocce Edictum diſertiſſimis verbis exigit (53).

Concludimus itaque, Imperium Indiæ generale quidem eſſe penes Gubernatorem Bataviæ, fed Summum penes neminem, niſi penes Ordines Generales.

§. XII.

Gubernatoris Generalis Splendor externus, titulus & habitatio.

Ad augendam magiſtratuum auctoritatem, populique venerationem erga ipſos incitandam, plurimum valent externi, quibus decorantur, tituli & inſignia, eorumque æſtimatio inter vicinos Populos non parum inde creſcit: unde ejusmodi primi ordinis miniſtros multo decore ornatos quotidie videmus. Quod remedium, ſi qui alii, præſertim adhibuerunt noſtri Ordines, atque eorum auctoritate Septemdecim Viri, Societatis Moderatores. Suum enim præcipuum in India mini-

(53) *Groot Pl. Boek* 1. *D. p.* 565.

niſtrum inſigni titulo, præclarisque honorum ſignis decorandum exiſtimarunt, quod præcipue in iis oris ſummæ utilitatis eſſe judicatum eſt. Nullam namque compertum eſt dari Gentem, quæ magis faſtu, magnifico apparatu, atque externis ornatus ſplendorisque ſignis delectetur, quam iſti Orientalis plagæ indigenæ (54). Hinc ille Gubernator regio decoratus apparatu ſolemni quavis occaſione, Principis inſtar eminentiſſimi, procedit, ejus ædes eximiis undique inſtructæ ornamentis ſplendidiſſimam aulam referunt, plurimis ſtipatam ſatellitibus; quas nullo unquam tempore, niſi peditum aliquo Cohorte Prætorio equitumque turma circumfuſus, egreditur; quin & omnes ſumma illum veneratione proſequantur oportet (55). Si quidam Legati In-

(54) Eo usque hanc ob cauſſam proceſſerunt Ordines, ut ſæpiſſime titulo PRINCIPIS HOLLANDIÆ coram iſtis Indiæ Regibus ſe, (vel Mauritium Principem, uti placet Auctori *de la Richeſſe de la Hollande*, in quod non inquiro, cum hoc à mea cauſſa plane ſit alienum) ut, inquam, ſe, vel Principem Mauritium, dicto titulo inſigniri paſſi fuerint OO. GG., unde & illis, vel illi, ſub titulo REGIS HOLLANDIÆ reſcriptum eſſe legimus. Vid. *la Richeſſe de la Holl. Tom.* I. *C.* 6. *p.* 332—336.

(55) VISSCHER *Mallabaarſche Brieven* 37*ſte Briev p.* 451. LUISCIUS *Algemeen Hiſtoriſch, Geographiſch en Genealogiſch Woordenboek* voce BATAVIA *Tom.* I. *p.* 138. Egregie hanc pompam deſcribit JANIÇON *Etat préſent de la Républ. des Prov. Un. Tom.* I. *C.* 12. *p.* 359. his verbis: „ *Pour le faire plus reſpecter & redouter des Nations Indiennes, accoutumées au faſte ordinaire aux Rois de l'Orient, la Compagnie a trouvé à propos d'accorder à ce Chef de ſon Empire aux Indes une eſpèce de Cour de Souverain, & de lui faire rendre tous les honneurs qu'on fait aux Monarques les plus abſolus. Auſſi ſa Cour eſt-elle plus pompeuſe, & ſon train plus magnifique, que celui de quelques Rois de l'Europe. Quand il ſort de la Ville pour aller à quelque Maiſon de plaiſance, ſon Caroſſe eſt précédé d'un Marechal des logis à la tête de Seize Cavaliers, avec un trompette; enſuite deux Hallebardiers à cheval, marchent immédiatement devant le Caroſſe du Gouverneur, attelé de deux Chevaux, ayant ſon Ecuyer à cheval à la portière droite, & ſuivi de ſix Hallebardiers à cheval, & ordinairement de deux autres Caroſſes avec des Meſſieurs qui l'accompagnent. Le Cortège* „ *finit*

Indicorum Principum apud eum admitti deſiderant, multis & id adhibitis ſit ſolemnitatibus, de quibus infra (56) videbimus.

Titulo condecoratur muneris amplitudinem & nobilitatem indicante (vulgo *Hoog Edelheid*), & totius Indiæ Gubernator Generalis dicitur (57). Domum, quam vidimus eſſe magnificentiſſimam, Bataviæ habet; quæ Urbs Jaccatræ erecta ruinis totius Indiæ eſt ſplendidiſſima, ſitu amœniſſima, muris valloque cincta validiſſimis, ſtatione portuque inſtructa ad naves e Patria iſtuc appellentes excipiendas aptiſſimis, tutiſſimis. Quare omnibus, quæ ſunt in iſtis finibus, urbibus hucusque præfertur, Metropolisque & Societatis divitiarum ſedes retinetur: licet ſæpius jam fuerit cogitatum de ea penitus relinquenda, ob ſumma, quæ ex fluminum obſtructione, atque inde naſcente aëris infectione, oriuntur, incommoda, civiumque vitæ ac valetudini adverſa morborum contagia. Quibus tolerandis noſtri milites, nautæ, mercatores, longo feſſi moleſtoque itinere, multi impares intempeſtiva morte intereunt; quin immo plures ex iis, qui ma-

„ *finit par quarante-huit Cavaliers, commandez par un Capitaine & trois Maréchuax* „ *des logis, précédez d'un trompette. Voilà ſon train, quand il ſort de Batavia. Lors-* „ *qu'il vient en Ville, au lieu de Cavaliers, il y a autant de Soldats, qui l'accompag-* „ *nent; mais l'Ecuyer & les Hallebardiers ſont à cheval, excepté quand il va à un en-* „ *terrement ou à des nôces; il n'y a alors que l'Ecuyer à cheval, & les Hallebardiers* „ *précédent & ſuivent le Caroſſe à pied*". Addatur *Tegenwoordige Staat der* VEREENIGDE NEDERLANDEN 1. *D. p.* 454.

(56) Scilicet §. XX.

(57) Primus Indiæ Præfectus ſupremus fuit P. BOTH, qui, cum prima vice Indiam peteret, tantum titulo gaudebat *S*ummi Claſſis Præfecti, ſed ſecundum iter, Gubernatoris Generalis nomine potitus, ſuſcepit Anno 1610. VALENTYN *Oud en Nieuw Ooſt-Indien* 4. *D.* 1. *Stuk p.* 264. Add. *Tegenwoordige Staat der* VEREENIGDE NEDERLANDEN 1. *D. p.* 455.

maximam vitæ periodum in Indiæ oris transegerunt, Bataviam reverſos huic malo non ſufficere, triſtiſſima docet experientia (58).

§. XIII.

De Senatu Regente (Raad van Indiën) *Indiam univerſam cum Gubernatore Generali dirigente.*

Auctoritatem Gubernatoris Generalis, licet maximam & Regiæ proxime accedentem exerceat, quibusdam limitibus tamen coërcere prudenti conſilio viſum fuit. Ne ſcilicet immoderata regendi licentia in deſpotismum veramque tyrannidem ita facile degeneraret, perpetuum ei Senatum, omnem cum ipſo poteſtatem dividentem, adjungere placuit (59).

Hoc itaque Concilium Sex conſtans membris ordinariis, præter ipſum Gubernatorem, qui (60) ei ſemper præſidet, & cum ipſo OO. GG. majeſtatem repræſentat (61), tot inſuper eſt inſtructum extraordinariis, eodem cum ceteris externo ſplendore decoratis, quot Septemdecim Viri quotannis ea ornare dignitate cum Indicarum rerum ſtatu convenire arbitrentur. Certus autem eorum numerus nuſpiam

(58) IMHOFF *Conſiderations ſur l'Etat preſent de la Compagnie Hollandoiſe des Indes Orientales C.* 18. §. 6. *Le Commerce de la Hollande Tom.* 3. *p.* 299. ubi hoc de ſtatu rerum in India judicium ſuffixum reperitur.

(59) *Generale Inſtructie voor den Gouverneur Generael en Raden van Indie Anno* 1650. *Art.* 144.

(60) Uti *ſupra* jam indicavi. §. VIII.

(61) *Generale Inſtructie Art.* 1.

ſpiam eſt definitus, nec quisquam ex Gubernatoribus territoriorum, vel inſularum, Bataviæ fines excedentium, iſtam dignitatem ſuo jure expetit. Conſtat quidem, aliquando ea de re deliberaſſe Moderatores; ſed cum ejusmodi decretum e re Societatis non fore judicarent, hanc propoſitionem rejicere non dubitarunt (62). Conſtat etiam, pleraque Senatus hujusce membra huic illive Regioni eſſe præpoſita, eſt enim omne Indiæ regimen inter ipſa, ſub auſpiciis Gubernatoris Generalis, dividendum. Hinc autem minime inferri poteſt, hanc dignitatem illorum territoriorum adminiſtratoribus perfecto jure deberi.

Circa hos Senatores Regentes, qui dicuntur *Raden wegens den Staat der Vereenigde Nederlanden, en den Generale Nederlandſche Compagnie in Indie*, ſequentia hic loci memoranda eſſe judico.

Eliguntur nimirum tam ordinarii, quam extraordinarii, hic in Patria a Septemdecim Viris (63), vel in India a Gubernatore ceterisque hujus Senatus membris, ea conditione, ut approbatio electionis Moderatoribus ſit reſervata (64). Gubernator ſolus, ſua auctoritate,

(62) *Reſolutie van de Heeren Seventhienen, op dato den* 23. *October* 1645. Præſes quidem Senatus Judiciarii titulo Senatoris Regentis Ordinarii fulget. Eum tamen inter ſex memoratos non numerandum eſſe autumo, cum enim Septemdecim Viri, per litteras 1. Novembris 1709. ad Gubernatorem Generalem & Senatum Regentem datas, antiquum huncce morem confirmaſſent, diſerte conſtituerunt: 1°. eum ordine ſecuturum Senatorem Ordinarium juniorem, & nunquam præ aliis, licet poſtea creandis, honoratiorem locum ſibi arrogaturum: 2°. ei non concedi jus ſuffragii ferendi, nullamque ejus rationem habendam eſſe, in rebus ad Politiam pertinentibus; quæ partes proprie ſunt Senatus Regentis, in quo ſeptem vota decidentia, ut mox videbimus, requiruntur; cujusmodi ſuffragium ei tamen conceſſum eſt in omnibus cauſſis criminalibus, quæ in iſto Collegio peraguntur.

(63) Id quod patet ex eodem Decreto Moderatorum *præcedenti Nota* allegato.

(64) Plurima hujusmodi electionis exempla paſſim occurrunt apud DU BOIS *Vies*

tate, nullum ei Collegio membrum, ne quidem extraordinarium, adjungere poteſt. Fateor quidem evidentiſſimum in contrarium exſtare exemplum, quod ſcilicet Gubernator Generalis SPEELMANNUS ad iſtum extraordinarii Senatoris gradum JOANNEM HOORNIUM, ſua tantum auctoritate, promoverit. Aſt illud factum Moderatoribus adeo displicuit, ut ſtatim HOORNIUM eo honore privaverint; licet eum mox, ſuo nomine, utpote virum de Societate eximie meritum, reſtituerint (65). Eſt Senatorum ſingulis hebdomadibus, ſtatis, quæ a Gubernatore definiuntur, temporibus, bis convenire, & quoties extra ordinem ab ipſo convocantur, ſtatuta pœna pecuniaria, abeſſe non licet, niſi morbo impediti, vel Reipublicæ cauſſa abſentes, ſonticam rationem poſſint allegare. Quo caſu eorum vicem primus, id eſt, ſenior ex iis, qui extra ordinem ad hoc dignitatis faſtigium provecti ſunt, ſupplere tenetur. Quin &, ſi omnes hi extraordinarii Senatores deficerent, in ipſorum locum ſuccederet, qui tempore, quo mercatoris munere in India functus eſt, reliquos antecedit. Nulla enim negotia in hoc Senatu tractari atque effectui dari poſſunt, niſi ſeptem adſint ſuffragium habentes deciſivum (66). Unde omnino ſequitur, ſecundum regulam, Gubernatorem Generalem & Sex Ordinarios Senatores ſuffragio ejusmodi decernente gaudere, ceteris autem ultra jus conſultandi nihil penitus concedi (67).

Litteræ, quæ a Moderatoribus ad Gubernatorem-Generalem quotan-

Vies des Gouv. Gener. des Indes. Huc etiam pertinet modo citatum Moderatorum Decretum.

(65) DU BOIS *Vies des Gouv. Gener. des Indes p.* 268.

(66) *Generale Inſtructie Art.* 143, 145 & 146.

(67) VISSCHER *Mallabaarſche Brieven 37ſte Briev.*

annis mittuntur, Gubernatori quidem confeſtim ſunt tradendæ, eas autem, niſi in Senatu, aperire ac recitare non audet (68). Porro omnia, quæ promulgantur, Edicta, tam Senatorum, quam Gubernatoris, nomen præferunt.

Denique, uti ipſius eſt curare, ut ſinguli ex illis provinciam ſibi impoſitam rite ac ſumma cum fide adminiſtrent (69), ita & illorum eſt proſpicere, ut ne ipſe Gubernator officio deſit, &, ſi nimiam ſibi vellet arrogare potentiam, ipſi non eſt, quod obediant (70). Id quod tamen rariſſime evenit, ac non, niſi caute, eſt admittendum, uti ſequentia evidentiſſime demonſtrabunt. Scilicet ne quis ex his omnibus concludat, æquos eſſe Gubernatoris, ac Senatorum, poteſtatis limites! minime Gentium. Ille non tantum nemini ſecundus, ſed omnibus omnino eſt ſuperior. Ipſorum eſt Senatorum obſequium ac fidelitatem ipſi jurare (71); ille non tantum diſſenſum, ſi quis inter ipſos eſt, componit, ſed duplici quoque gaudet ſuffragio (72). Unde ſequitur, quinque ad minimum diſſentire debere, ut ſententia Gubernatoris opinioni contraria poſſit prævalere. Quin &, ſi magni momenti ipſi videatur, ut ſua vincat opinio, omnibus quoque diſſentientibus reſiſtit, ſuaque auctoritate & periculo rem ſuſceptam perficit, ac

(68) *Generale Inſtructie Art.* 166.

(69) *Ibid. Art.* 148.

(70) *Ibid. Art.* 152.

(71) *Le Commerce de la Holl. Tom.* 1. *C.* 2. p. 82. *Eed van de Raden van Indien. Groot Pl. Boek* 2. *D. p.* 1310.

(72) VISSCHER *Mallabaarſche Brieven l. c.* & *La Richeſſe de la Holl. Tom.* 1. *C.* 6. *p.* 361.

ac jure effectui dari præcipit. Cujus rei celeberrimum liceat allegare ſpecimen. Cum nempe Anno 1686., vel ſequenti, de munere quodam alicui conferendo adeo inter Gubernatorem & Senatores non conveniret, ut omnes ab eo diſſentirent, CAMPHUYSIUS (ille enim tunc temporis imperio præerat) ſibi tamen voluit obediri; ceteris autem Senatus Regentis membris cedere conſtanter negantibus, ac verba in eum aliquantum aſperiora effundentibus, ſurgens Senatum reliquit, nec prius eſt reverſus, quam omnia ſibi e voto ſuccederent, omnia interim, quæ a Senatu ipſi minus arridentia concluderentur, reſcidit; id quod omne a Moderatoribus approbatum, eamque litem Societati ſane non admodum proficuam hoc modo ſopitam eſſe, narrat ſæpius laudatus DU BOIS. (73).

§. XIV.

A quo eligatur Gubernator, & quamdiu has partes agere ſoleat.

Unusquisque Senator, Collegii Regentis membrum, tam ordinarius, quam qui extra ordinem in ipſorum numerum relatus eſt, ad munus Gubernatoris Generalis poteſt promoveri. Plerumque ordinarii quidem præferuntur; verum & contrarium quoque obtinuit Anno hujus ſæculi 35, mortuo Gubernatore, cum in Concilio Sena-

na-

(73) DU BOIS *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 248. *ſeq.* VISSCHER *Mallabaarſche Brieven l. c.* & VALENTYN *l. c. p.* 262. Vid. & *infra* §. XXIII. *Nota* 128.

natus Regentis de alio in ejus locum ſufficiendo deliberaretur, neque inter Senatores conſtaret, quis foret inter duos eligendus, qui paria puncta tulerant, quorum alter ordinarius, alter extraordinarius Senator erat, alea res fuit deciſa, atque is, qui extra ordinem Senatui erat adſcriptus, favente fortuna, locum obtinuit (74).

Deficiente Gubernatore Generali, novus ei ſubſtituitur a Collegio Senatorum (75), qui ſtatim eundem titulum ei conferre tenentur, ſalvo jure Septemdecim Virorum, utrum hanc electionem probare an rejicere malint; qui ægerrime tulerunt, quod hac in re accidit Anno 1645., quo ſcilicet Gubernator, cum a morte propius abeſſet, ſucceſſorem ſibi, ſub titulo Præſidis Senatus Regentis, propoſuit, quod reliqui Senatores approbarunt. At Moderatores inſolitum iſtud factum reprobarunt, eumque ſtatim Gubernatoris Generalis titulo decorandum eſſe reſcripſerunt (76). Quandoque præterea & ab ipſis Moderatoribus recta via iſtæc dignitas confertur (77). Quotiescunque enim ejus officii terminus exſpirat, durat autem per tres annos, vel continuandus eſt, quod plerumque fieri conſtat, vel alius ei ſubſtituendus. Poſſunt autem Septemdecim Viri, quotiescunque ipſis lubet, nullam rationem allegantes Gubernatorem officio movere, alterique hanc demandare provinciam. Quo caſu aliquando domum revocatur, aliquando ei datur optio, velitne in Patriam

(74) *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 307.

(75) Id quod videre eſt ex formula Jurisjurandi a Senatoribus præſtandi. *Groot Pl. Boek* 2. *D. p.* 1310. Du Bois *Vies des Gouv. Gen. des Indes Paſſim.*

(76) Du Bois *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 134. *ſeq.*

(77) *Le Commerce de la Holl. Tom* 1. *C.* 2. *p.* 106. *La Richeſſe de la Holl. Tom.* 1. *C.* 6. *p.* 358.

triam redire, an in India remanere; quod ſi elegerit, privatus quidem eſt, nullaque valet auctoritate, unde multos electionis cito pœnituit, ſed magnis ubique afficitur honoribus, ſtatusque ſui mutationem, ſi a rerum adminiſtrandarum jure diſcedamus, non ita ſubit magnam (78).

§. XV.

An habeat in India Judicem.

Quod par in parem nullo gaudeat imperio, nulla penitus Jurisdictione, multo minus in ſuperiorem, Romanæ Jurisprudentiæ conſentaneum eſſe ſatis conſtat (79). Hinc ejus Conditores, Imperatores ipſi, delictorum a præcipuis ſuis miniſtris commiſſorum cognitionem ordinariis judicibus, qui reis ejusmodi aliquando eſſent pares, vel inferiores, committere nunquam voluerunt; ſed in illos ſibi reſervarunt animadverſionem; ne tantæ dignitates magiſtratus minoris ultioni expoſitæ vileſcerent (80). Eos autem, qui in inferiori honoris gradu erant collocati ordinario delicti, vel domicilii, foro ſubjecerunt (81). Ita Illuſtrium Virorum dignitatem, etiamſi in ceteris reatus honorem omnem excludat, conſervandam, omnemque eos infimæ plebeculæ ſarcasmis inſanoque deriſui exponendi anſam vitandam, judicarunt.

Con-

(78) Hanc optionem conceſſam legimus Gubernatori Generali CAMPHUYSIO, qui in India manſit, uti & fecere OUTHOORN & ZWAARDEKROON; VAN GOENS, aliique in Patriam redire maluerunt. DU BOIS *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 251, 267, 297, 233.

(79) Vid. VOET *ad Tit. D. de Jurisdict. Num.* 52.

(80) *L. ult. C. ubi Senat. vel Clariſſ.*

(81) *L.* 1. *C. eod.* LEYZER *in Medit. ad Pandect. Spec.* 80. MATHÆUS *de Crim. L.* 48. *T.* 13. *C.* 5. *N.* 12. PEREZIUS *ad tit. Cod. ubi Senat. vel Clariſſ.*

Convenire cum hoc Romanorum placito & noſtros hodie mores, affirmat VOETIUS (82), plurimos allegans, de quibus hoc in Hollandia conſtitutum eſſe diſerte probat. Illud autem definitu difficillimum plerique auctores affirmant, quinam demum fuerint illuſtres, quique horum numero hodie adſcribendi ſint, vel minus (83). In eo autem omnes, & merito, ni fallor, conveniunt, Senatores, Supremorum in Rebuspublicis Collegiorum membra, præcipuosque magiſtratus, multo ſplendore ampliſſimisque titulis ornatos, eo eſſe referendos. Eo enim honoratiores ſunt magiſtratus, quo titulum habent digniorem (84). Quin igitur & iis noſter Gubernator Generalis, cum Senatus Regentis membris, accenſendus ſit, nihil eſt, quod dubitemus.

Cum quibus etiam convenit, quod diſerte hac de re eſt conſtitutum; Senatus enim Judiciarius, qui omnium cauſſarum criminalium in India ſupremus judex eſt, ſolo in caſu proditionis in Gubernatorem animadvertere poteſt (85). Senatum Regentem autem parum hac in re pollere ex facto CAMPHUYSII, quodammodo patet. Cum enim iſti Senatores aliquando ei objicerent, eosdem, qui rerum ſummam ipſi tradidiſſent, (electus autem erat a Senatoribus) & deprimere eum poſſe, nihil cunctatus ſurrexit, dicens, ſi tanta eſt hæc veſtra poteſtas, nihil eſt, quod huic Collegio diutius interſim, abiit, at-

(82) *Ad Tit. D. de Judic. Num.* III.

(83) Vid. MENOCHIUS *de arbitrar. Judic. Quæſt. L.* 2. *C.* 1. *Cas.* 68. MATHÆUS *de probation. C.* 7. *Num.* 94.

(84) *Nov.* 28. *C.* 4. §. 1.

(85) *Tegenwoordige Staat der* VEREENIGDE NEDERLANDEN 1. *D. p.* 452 & 458. *La Richeſſe de la Holl. Tom.* 1. *C.* 6. *p.* 361.

atque intra biennium reverſus plane non fuit (86). Quod cenſuram meruiſſe Moderatoribus viſum non fuit.

Convenit & præcipue cum hoc noſtro ratiocinio *Art.* 35. Privilegii Anno 1602. dati (87), quo Ordines Societati facultatem variæ auctoritatis miniſtros, Regionum, Inſularum, omniumque locorum Gubernatores, viroſque Juſtitiæ exercendæ præponendos, creandi concedunt, ſimulque poteſtatem eos officio removendi largiuntur, addita tamen clauſula; ut liber iis Gubernatoribus ſupremiſque miniſtris, qui ſe læſos arbitrantur, ad Ordines regreſſus nullo unquam tempore præcludatur; ut coram ipſis libere cauſſam dicant, illatamque labem, ſuam vindicantes innocentiam, ſi poſſint, eluant.

Anno quidem 1718. die 14 Aprilis OO. GG. huncce articulum ita ſunt interpretati: ut iſta provocatio ad Ordines memoratis dicto articulo miniſtris, cujuscumque forent dignitatis, in poſterum non aliter concederetur, quam ſi in Judicio Indico citati nondum reſpondiſſent, neque ob contumaciam eſſent condemnati, his in caſibus, ultra ſolitam reviſionem, nihil prorſus concedentes. Regulariter igitur antiquitus recepta regula ſupereſt. Unde concludimus, Gubernatorem Generalem, cum in officio deliquerit, ob *cit. Art.*, ſi proditionis crimen excipiamus, in India puniri non poſſe. Prius enim foret dignitate movendus, nam Regi, ut ajunt, quis legem dixerit? Tum autem ſtatim provocatio ad OO. GG., ut rationes actorum reddat, ei ſummo jure competeret, reditusque in Patriam non denegaretur (88).

§. XVI.

(86) DU BOIS *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 248. *ſeq.*
(87) *Groot Pl. Boek* 1. *D. p.* 536.
(88) Quod accidit Anno 1740., quo Gubernator Generalis, poſt abdicationem

§. XVI.

Quodnam ei ſit in Belgio forum competens.

Intra fines itaque Fœderati Belgii reverſus, cujusnam jurisdictioni ſubſit, non ita expeditum eſt. Prima enim fronte Ordinibus Generalibus jus eum puniendi competere videri forte poſſet. Hi etenim omnis territorii, quod extra Fœderatarum Provinciarum limites eſt, Summo Imperio, nomine Sociorum, quos referunt, Trajectinorum, ſunt inſtructi (89). Inter jura autem Majeſtatica & pœnas conſtituendi atque infligendi poteſtatem eſſe, quis non fatetur? Accedit quod omnes, qui fidelitatis Sacramentum jurant OO. GG., in ipſorum jurisdictionem conſenſiſſe cenſendi ſint, quæ, priusquam rationes reddiderint, atque ab Ordinibus miſſi ſint, expiraſſe vix dici poſſit. Quæ rationes pro jure OO. GG. ſic ſatis quidem militant. Verum, cum pro contraria opinione multo graviora adſint argumenta, ab hac ſententia recedendum eſſe patebit. Gubernator, quod fateor, rationes OO. GG. reddere debet (90). Si autem poteſtatis ſuæ terminos exceſſiſſe, ſi deliquiſſe in India, comperiatur, atque intra ſingularum Provinciarum fines reverſus ſit, nulla Jurisdictio ab

OO.

nem ſui muneris, Patriam repetens in Promontorio Bonæ Spei arreſto detentus, in Indiam reverti, ut ſe purgaret, coactus, ibique carceri incluſus eſt; quod tum accidit, inquam, utut ſit, cum ætatem non tulerit, neque explicitum fuerit, examinare, ac judicium de eo ferre, difficile admodum foret & incertum. Factum autem relatum legimus apud ſæpius jam laudatum DU BOIS *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 332.

(89) Vid. *ſupra* §. XI.

(90) *Ibid.* & *Art.* 35. Privilegii *Groot Pl. Boek* 2. *D. p.* 536.

OO. GG. in eum exerceri poteſt. Summa enim in quamque Provinciam Poteſtas ſemper penes Ordines fuit ſingularum Provinciarum, quæ in Ordines Generales nunquam fuit translata. Singulis cujusque Provinciæ civibus antiqua jura ac privilegia intacta fuerunt reſervata; inter quæ & ſanctiſſimum illud de non evocando privilegium utique eſt referendum, ſecundum quod neminem, niſi coram judice competente, convenire liceat, niſi forte judex loci delicti legitima præventione ordinarium domicilii judicem occupaverit. Hinc cives cujusdam Provinciæ, ſimulatque territorium Sociorum commune reliquerunt, (dum enim ibi morantur ſine dubio ab OO. GG., vel eorum juſſu, ipſorum cauſſa cognoſci atque illi ipſi puniri poſſunt) ſimul atque igitur, inquam, cives cujuscunque Provinciæ, relicto communi territorio, in Patriam reverſi ſunt, vel ut actionum ſuarum rationes reddant, vel quacunque etiam de cauſſa, judici, quem ante diſceſſum e Patria habuerunt, iterum ſubſunt, forumque domicilii, quod OO. GG. ſerviendo non amiſerunt, ſtatim reviviſcit: nec obſtat, quod in territorio communi deliquerint, æque enim datur domicilii, ac delicti, forum. Tandem quod in jurisdictionem Ordinum Generalium conſenſiſſe ſint cenſendi, eatenus concedi debet, quatenus in ipſorum finibus remanent; intra territorium vero Provinciarum ſingularum, per ſolam privatorum conceſſionem, OO. GG. jurisdictionem, Majeſtati Ordinum Provinciæ cujusque contrariam, his non conſentientibus, poſſunt plane nullam conſequi. Allegari quidem unum poſſet alterumque exemplum, quo OO. GG. illud jus exercuerint, verum cum id, vel præcedente ſpeciali conſenſu, vel accedente ratihabitione Ordinum Provincialium, factum ſit,

per exempla, quibus contrarium obtinuit, quæ ſic ſatis multa occurrunt, facile eluderetur (91).

Multis animorum motibus ea OO. GG. jurisdictio ſæculo præcedenti fuit ventilata (92), quo tempore Ordines Hollandiæ, 1 Octobris 1654., Curiæ Hollandiæ prolixo reſponſo excutiendam iſtam injunxerunt quæſtionem: an non ii, qui contra OO. GG. deliquerunt, etiam in eorum territorio, in Belgium Foederatum reverſi, reciderent in jurisdictionem ejusdem judicis, quem antea habebant (93)? Quod reſponſum affirmantem probans ſententiam octiduo poſt datum reperitur, & a BYNKERSHOEKIO (94) optime conſcriptum dicitur, qui, non aliis, niſi frivolis rationibus, nubem Pragmaticorum contra diſputaſſe, affirmat.

Denique Ordines Hollandiæ Anno 1656. Edictum promulgarunt (95), quo

(91) *Reſolutien van Conſideratien ten tyde van* DE WITT *p.* 219. *ſeqq.*

(92) *Ibid. p.* 214. *ſeq.* AITZMA *Hiſtor. L.* 6. *p.* 207., *L.* 34. *p.* 187 & 251. *L.* 35. *p.* 441. BYNKERSHOEK *Quæſt. Jur. Priv. L.* 1. *C.* 13. *p.* 154. *ſeqq.*

(93) *Reſolutien van Conſideratien ten tyden van* DE WITT *p.* 219.

(94) *Quæſt. Jur. Priv. l. c.*

(95) *Reſolutien van Conſideratien ten tyden van* DE WITT *p.* 276. *Placitum Ordinum Holl. & Weſtfriſ. d.* 3. *Octob.* 1656. ubi de delictis ab iis, qui OO. GG. Sacramento obligati ſunt, ſive tanquam privati, dum muneri ſuo præſunt, ſive in ipſo officio deliquerunt (nominantur enim tales cives, „ *dewelke haar in dienſt ende* „ *eed van de generale Regieringe der Geſamentlyke Provincien, reſulterende uyt de Unie* „ *tuſſchen dezelve opgerigt binnen Utrecht in den Jare* 1579. „ *gemeynlik genaamt de Ge-* „ *neraliteyt, ende haar in ofte omtrent den voorz. dienſt, door eenige delicten hebben ver-* „ *greepen* "). de his, inquam, civibus emphatice ſtatuitur „ *dat alle en een eygelyk* „ *van deeze voorz. onſe onderdanen en ingeſetenen van onſen Lande, van hoedanig ſoort,* „ *ſtaat, qualiteyt ofte conditie dezelve zoude mogen weezen, ook die geene, die in dienſt* „ *ende eedt van de generale Regieringe van de Unie geemployeert werden, ofte voormaals* „ *geemployeert zyn geweeſt, binnen onſen Landen van Holland ende Weſt Vriesland in* „ *eenige van de voorz. andere Provintien, ofte onder het diſtrict van dezelve generale Re-* „ *gieringe, ofte daar buyten: ende binnen den voorz. onze Landen komende, het zy om-*

„ *me*

quo hæc theſis omnimodo probata, ac plane extra omnem dubitationis aleam collocata videtur.

§. XVII.

Quatenus Gubernator Generalis jure gaudeat gerendi bellum, ac pacis, fœderumque faciendorum.

Cum bellum ex iis negotiis ſit præcipuum, quibus univerſa civitas periculo poſſit involvi, magiſtratui, ut tali, ex propria auctoritate, de quovis bello ſtatuendi poteſtatem dare, idem eſt, atque eidem Summum Imperium tribuere (96). Cum autem Princeps cuidam Præſidi, vel cuicunque Magiſtratui, loci alicujus regimen ac tuitionem commiſit, procul dubio & media tali defenſioni neceſſaria ei conceſſiſſe præſumitur. Si bello igitur ab aliis invaderetur, dum tempus Principem conſulendi ſuppeteret, utique foret ille conſulendus: hoc vero ſi non ſupereſſet, ut ſæpe fit, præſertim ubi terra ejusmodi Gubernatoris curæ credita longius abſit, ſine ulla prævia conſultatione arma ſu-

„ *me van haar verhandelde aan de Generaliteyt rapport te doen, ofte van haar actien re-*
„ *den ende rekenſchap te geyen, ter ſaecke van delicten, alhoewel in de voorz. dienſt, en-*
„ *de in het ſtuk van haar officie begaen, alleen in Rechten aanſpreekelyk en ſtrafbaer*
„ *zyn, voor ſoodanige Rechter, daar onder dezelve, binnen deze Landen wonende, ſorte-*
„ *ren, ofte alwaer ſy ten tyde van het aannemen van haeren dienſt gheſorteert hebben* ”.
Groot Pl. Boek 2. *D. p.* 1157. & *eod. p.* 2461.

(96) PUFENDORFF *de Jure Nat. & Gent. L.* 8. *C.* 6. §. 10. GROTIUS *de J. B. & P. L.* 1. *C.* 3. §. 4. *N.* 2. ibique COCCEJUS *in Comment.* VATTEL *droit des Gens P.* 2. *L.* 3. *C.* 1. §. 4. & BARBEYRAC *defence du Droit de la Compagnie Hollandoiſe des Ind. Orient. contre les nouvelles prétenſions des Habitans des Pays-Bas Autrichiens C.* 14. §. 5.

ſuſcipere, bellumque repellere, teneretur (97): id quod vel ex ſolo jure neceſſariæ defenſionis in nulla civitate ſublato, (ab hoc enim abhorret natura,) ſed tantum moderato, poſſet demonſtrari.

Ita & Gubernatori totius Indiæ Generali jus bellum gerendi defenſivum, etiamſi belli ſedes ex India in oras Patrias quandoque poſſet transferri, male tamen negaretur; quod cum privilegio Anni 1602. omnino pugnaret. Ibi enim (98) datur Societati facultas fœdera cum Principibus Indiæ faciendi, militiæ Præfectos eligendi, magnamque militum conſcribendi copiam; quæ omnia, niſi ſaltem ſe tueri liceret, utique inutilia forent ac nullius momenti.

Societas porro ſuo Gubernatori cum Concilio Senatus Regentis, ut tam invadendo, quam defendendo (99), urgente neceſſitate, contra Principes iſtos Indiæ agerent, permiſit (100): contra nationes Europæas vero, quæ & ibi mercaturæ exercendæ gratia reperiuntur, ſi plane evitari non poſſit, ſolummodo defenſivum gerendi bellum poteſtatem dedit (101). Quo jure & ſæpius, caute tamen ac non, niſi cum unicum eſſet ſeſe defendendi optimumque remedium, æque contra Europæas atque

(97) PUFENDORFF *de Jure Nat. & Gent. l. c.* §. 10. *ſeqq.* GROTIUS *de J. B. & P. l. c. N.* 3. & BARBEYRAC *eod.*

(98) Vid. *Art.* 35, 36 & 37. ejus Privilegii. *Groot Pl. Boek* 1. *D. p.* 536.

(99) De diſtinctione inter bellum offenſivum & defenſivum conferri poſſunt PUFENDORFF *de Jure Nat. & Gent. L.* 8. *C.* 6. §. 3. VATTEL *Droit des Gens P.* 2. *L.* 3. *C.* 1. §. 5. & COCCEJUS *ad* H. GROTIUM *de J. B. & P. L.* 3. *C.* 3. §. 6. *p.* 648., Add. WOLFF *Inſtitutions du droit de la Nature & des Gens avec des notes, par Mr. Elie Luzac* §. 1169 & 1170.

(100) *Le Commerce de la Holl. P.* 1. *C.* 2. *p.* 82. cui jungatur IMHOFF *conſiderations ſur l'Etat préſent de la Comp. Holl. des Ind. Orient* §. 18. *Le Commerce de la Holl. P.* 3. *p.* 296.

(101) *Generale Inſtructie Art.* 173.

atque Gentes Aſiaticas uſos fuiſſe Gubernatores, ex itinerariis atque annalibus Societatis notum eſt (102).

Quod autem attinet ad pacis fœderumque pangendorum poteſtatem Gubernatoris & Senatus Regentis, qui & hoc caſu, uti ſæpe, iterum cum eo conjungendus eſt, de his brevi tranſigetur. E privilegio enim ſtatim jam allegavi, OO. GG. Societati hoc diſertiſſimis permiſiſſe verbis. Cum autem & utilitas ſæpe poſtulet, ut citiſſime ejusmodi fœdera cum hoc illove Principe ineantur, ita ut non ſemper ſententiam a Moderatoribus expectandi tempus ſuperſit, cum bella ad læſionem aliquam avertendam, vel reparandam, pacemque obtinendam, ſuſcipiantur; utrumque hoc Senatus Indici poteſtate non contineri, nulla veri ſpecie ſtatueretur.

§. XVIII.

De Conſtructione munimentorum, & vectigalia imperandi jure.

Eodem plane modo, cum ſit pecunia belli nervus; cum, hujus ſatis apta deficiente copia, ut ut Populus alter alterum, hominum multitudine, Regni finibus ac potentia ſuperet, quotidiana experientia docuerit, quantoties potentior debiliori tandem cedere debuerit. Hoc veteris, hoc

(102) *Diſſertation ou lon prouve le droit excluſif de la Comp. Orient. des Prov. Un. au Commerce & a la Navigation des Ind. Orient. contre les prétenſions des Païs-Bas Eſpagnols ou Autrichiens* §. 6. p. 6. *ſeq.* BASNAGE *La déſcription hiſtorique du Gouvernement des Prov. Un. ad Annum* 1656. §. 66. p. 443. *ſeq.* DU BOIS *Vies des Gouv. Gen. des Indes* p. 168, 245 & 277. *in med.*

hoc recentioris ævi monumenta, hoc exteræ Gentes, hoc ipſa Patria ſatis confirmavit. Cur igitur & Gubernator, præcedente Senatorum conſultatione atque approbatione, ſi aliter ſeſe expediendi nulla via pateret, cur, obſecro, Gubernator Generalis, caſu adeo urgente, Bataviæ incolis Europæis, Chinenſibus aliisque, quotquot dantur, vectigal ſine jure imperaret? Chinenſes ſaltem, qui non ita magni habentur, uti & ceteri indigenæ, Europæis ſervire nati, (quod vel ſola coloris diverſitas oſtendit, uti multi in iis oris ratiocinantur; hic in Patria quis præſumeret?) Chinenſes, inquam, quotidie tributa perſolvunt, quæ ſane, præſente periculo, licet forte ſic ſatis gravia, merito tamen augerentur; cum a noſtratibus ita defendantur. Hinc, dum lucrum faciendi occaſio ipſis præbeatur, & invicem quid oneris ferre immerito recuſarent. Ita & mœnia exſtruere, munimenta ædificare, & cujuscunque generis opera, munitionibus operibusque hoſtium, qui & illam artem jam diu ab Europæis didicerunt, opponenda conficere, cur non liceret? Ita jam primum Indiæ Gubernatorem, convenienter permiſſioni ab Ordinibus Societati datæ (103), ut & alios hoc jure uſos fuiſſe, conſtat (104).

§. XIX.

---

(103) *Art.* 35. Privilegii *Groot. Pl. Boek* 1. *D. p.* 536.

(104) Du Bois *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 12, 29, 36, 38, 39, 50, 94, 100, 114, 123, 131. cæt. *Articulbriev Tit.* 14. *Art.* 108. *Groot Pl. Boek* 3. *D. p.* 1322.

§. XIX.

De Militia.

In India non exiguam copiarum terreſtrium æque, ac maritimarum, multitudinem, alere, ſemper fuit ſolita Societas. Id quod ex diverſis, quæ commiſerunt, bellis evidenter apparet; id quod & evincit, quod Societas Anno 1664. Ordinibus Generalibus obtulit, ut ipſa omnem Guineæ oram ſuo tueretur periculo, omnesque portus omniaque loca jam capta ſuis viribus recuperaret (105). Poſt hæc florentiſſima Societatis tempora fuerunt quidem iſtæ vires quodammodo imminutæ, ut plurimum ea de re fuerit conqueſtus Gubernator Generalis Imhoff (106) aliique. Verum hodiedum ſatis bene ſeſe habet utriusque militiæ ſtatus, & plurimæ, quos in Societatem evomuit Auctor *de l'Hiſtoire Philoſophique & Politique des Etabliſſemens & du Commerce des Européens dans les deux Indes* (107), calumniæ, quaſi vero peſſimo nutrimentorum genere iſti milites alerentur, quaſi ipſorum ductores ex infima plebe omnes eligerentur, ſimilesque, ab omni vero ſunt alienæ, atque ingenio iſtius viri, aut eorum, quibus ille fidem habuit, perverſis relationibus debentur.

Præter multas naves, tormenta bellica, ceteros belli apparatus, atque ingentem nautarum numerum, qui & in uſus bellicos, ſi ita opus fuerit, adhibentur; multi quoque Europæi milites ibi terrarum Socie-

tatis

(105) *La Richeſſe de la Holl. Tom.* 2. *C.* 7. *p.* 120.

(106) Imhoff *Conſidérations ſur l'Etat préſent de la Comp. C.* 20. *Le Comm. de la Holl. P.* 3. *p.* 307. *ſeqq.*

(107) *Tom.* 1. *p.* 223.

tatis ſtipendio aluntur. Sic Bataviæ, ubi exercitus mille & ducentorum hominum, ex præſcripto Moderatorum, ſemper ac ſine exceptione in promptu ſit oportet (108), equitum peditumque duo vel tria præſidiariorum millia numerantur (109). Ita & in aliis quoque locis, ſuo quibusque Rectori parentibus, major minorve ubique militum numerus excubat; adeo ut, ſi hi omnes cum nautarum turba, plurimum ſane operæ in præliis navante, computentur, viginti quinque armatorum millia, ſi non excedant, proxime ſane æquiparent (110). Quibus ſi addantur indigenæ milites, qui in prima acie collocari fere ſolent, ac centum hominum millibus non pauciores æſtimantur: ſtatum profecto Societatis in India militarem quidam, quaſi nullus eſſet, non videntur, niſi immerito, aſpernari.

Terreſtribus hiſce copiis, turmis equitum, peditumque legionibus, præter inferiores quosdam Ductores, unus imperat, dignitate fulgens eminentiſſima, ita quidem, ut honoratiori loco, poſt Gubernatorem & Directorem Generalem, omnibus Societatis miniſtris anteponatur (111): Gubernatori tamen, uti & navium magiſtri omnes, ſubeſt, quotidie ejus mandata exquirit, dictisque ſine mora obtemperat (112).

§. XX.

(108) *Generale Inſtructie Art.* 171.

(109) IMHOFF *Conſidérations ſur l'Etat préſent de la Comp. Le Comm. de la Holl. P.* 3. *p.* 308.

(110) *La Richeſſe de la Holl. Tom.* 1. *C.* 6. *p.* 361. & JANIÇON *Etat préſent de la Républ. des Prov. Un. Tom.* 1. *C.* 12. *p.* 364.

(111) *La Richeſſe de la Holl. l. c.* & JANIÇON *ibid.*

(112) *La Richeſſe de la Holl. l. c.* VISSCHER *Mallabaarſche Brieven* 37*ſte Briev.* & JANIÇON *Etat préſent de la Républ. des Prov. Un. Tom.* 1. *C.* 12. *p.* 358.

Con-

§. XX.

De Legatis a Gubernatore miſſis ac receptis, & ſolemnibus, quæ, cum recipiuntur, adhibentur.

Ubi ſunt componenda bella variique generis pangenda fœdera, ibi & legationum uſus maximus non poteſt non eſſe. Quamobrem OO. GG. Societatis Moderatoribus & illud jus, quandocunque opus eſſet, ſua auctoritate Indiæ Regibus Principibusque Legatos mittendi permiſerunt (113); a quibus iſta facultas porro Gubernatori Generali cum Senatu Regente fuit demandata, ut ejusmodi Legatos ad Reges iſtos Orientales mitteret, ac viciſſim reciperet (114). Qua in re tamen imprimis externo ſplendori, quo illi Principes maxime delectantur, conſulendum cenſuerunt, & multa idcirco in tali receptione ſolemnia adhibenda eſſe conſtituerunt. Nemo ſcilicet cujuscunque Regis nuntius, nemo Legatus, cujuscunque ordinis, apud Gubernatorem admittitur, niſi prius ſe adventaſſe ſolemniter nuntiaverit, atque, an Gubernatori ipſum recipere conveniat libeatve, humaniter & honorifice, exploraverit. Si autem miſſus ille Legatus non ſatis amplæ conditionis

---

Conferri quoque merentur, quæ acta ſunt Anno 1740., cum Gubernator Generalis duo Senatus Regentis membra arreſto detineri juſſit, quæque hac occaſione de auctoritate ſua multa verborum pompa diſputavit. DU BOIS *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 322. *ſeqq.* Addatur *Articulbrief T.* 14. *Groot Pl. Boek* 3. *D. p.* 1322. & formula Sacramenti, quod præſtant milites. *Groot Pl. Boek* 3. *D. p.* 1328.

(113) *Art.* 35. Privilegii *Groot Pl. Boek* 1. *D. p.* 536.

(114) *Le Commerce de la Holl. P.* 1. *C.* 2. *p.* 82. DU BOIS *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 104, 117, 125, 129, 217, cæt.

nis eminentisve dignitatis videatur, quandoque repellitur, atque, cauſſa ne quidem audita, ad Regem ſuum remittitur (115). Si autem probetur, Gubernatör diem, quo ipſi vacare ſibi arrideat, ſtatuit, atque admiſſus, more Gentium Orientalium ſolito, dona Gubernatori pauciora plurave offert. Idem facit Gubernator, cum vice verſa ad iſtos Principes legationem mittit. Cum autem plura, in acceſſu ad Gubernatorem, priusquam audiantur, uſu recepta ſint ſolemnia, hæc, uti accuratiſſime deſcripta ſunt a JANIÇONIO (116), iisdem ejus verbis memoranda judicavi: ita nimirum air: „ *Quand un* „ *Meſſager arrive avec une lettre de quelque Monarque Indiën au* „ *Gouverneur, le Sabander, ou Maitre des céremonies, va avec* „ *ſept ou huit des principaux Officiers de la Compagnie chercher* „ *cette lettre, qu'un Hallebardier porte dans un plat d'argent cou-* „ *vert d'un damas jaune à fleurs. La Garniſon de la Citadelle* „ *eſt alors rangée en une double haïe depuis la Porte jusqu'au Pa-* „ *lais du Gouverneur, avec drapeaux déployez, tambour battant, &* „ *les Trompettes & Hautbois joüant de leurs inſtruments. Le Meſ-* „ *ſager, accompagné du Sabander & des autres Officiers, paſſe* „ *au milieu de cette double haïe, pour ſe rendre au Palais. Dès que la* „ *lettre eſt remiſe, on tire le canon & l'on fait trois Salves de la* „ *Mousquetterie. Après quoi le Meſſager & ceux qui l'ont accom-* „ *pagné, ſont introduits dans la Salle du Conſeil, ou il y a une* „ *table*

(115) DU BOIS *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 169.

(116) *Etat préſent de la Républ. des Prov. Un. Tom.* 1. *C.* 12. *p.* 361. cui addatur LUISCIUS *Algemeen Hiſtoriſch, Geographiſch en Genealogiſch Woordenboek Tom.* 1. *p.* 158. *ſeqq.* voce BATAVIA.

„ *table couverte de mets délicieux. Le Meſſager s'y met avec le* „ *Gouverneur & le Commandant des troupes, & tous les autres* „ *ſe tiennent debout. Le Sécrétaire du Gouverneur ſe tient auſſi debout* „ *auprès de lui, & la table eſt entourée de Hallebardiers.*".

§. XXI.

De Collatione munerum.

Si quod vacet munus, ſive morte, ſive altiori dignitatis gradu in quemquam collato, ſive dimiſſione cujusquam miniſtri, illud varia ratione ſuppletur. Quædam enim munera non, niſi hic in Patria, quædam a Senatu Regente una cum Gubernatore Generali, quædam denique ab hoc ſolo candidatis conferuntur. Sic vidimus Gubernatorem, cum ſuo ſe munere abdicet, non poſſe ſucceſſorem ſibi conſtituere, ſed omnium Senatorum ſuffragia eo caſu deſiderari (117); idem obtinet in ceteris Regentis Senatus membris. Sic Judices, Judiciarii Senatus membra, uti & illi, qui mercatores, ut vocantur, proximo ſequuntur ordine (*Onderkoopluyden*), e Patria a Moderatoribus in Indiam tali dignitate inſtructi mitti ſolent, ſalvis, uti per ſe patet, juribus, in Sereniſſimum Gubernatorem Hæreditarium a Moderatoribus collatis. Cetera autem munera & officia, pleraque ſaltem, & militaria (118), & non militaria a Gubernatore ſolo, vel cum Senatu, diſtribuuntur. Unde, qui Indiam petunt & Societati ſerviendo quæ-

(117) Vid. *ſupra* §. XIV.

(118) Du Bois *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 183. & *Articulbriev Tit.* 5. *Art.* 45. *ſeqq. Groot Pl. Boek* 3. *D. p.* 1316.

quæſtum aliquem facere conantur, id ſedulo agunt, ut litterarum, quibus Gubernatori commendentur, fiant compotes. Qui mos admodum laudandus videtur, ut vir ille excellentiſſimus ita ſciat, an, quos huic illive muneri admoveat, iſto beneficio digni ſint ob vitam ante actam non culpandam, patronosque, quos in Belgio habent, auctoritate ſua venerabiles, qui ſane indignos non commendabunt. Ut ita, quos Sacramento, dum munus ſuum obiret, præſtito convenienter, nullam gratiæ vel odii rationem habiturus (119), aptiſſimos eligit, probitate morumque præſtantia inſtructos eſſe cognoſcat. Hoc ſenſu recte dixit VALENTYNIUS (120), eum, qui Gubernatori displiceat, periiſſe, qui vero ab eo probetur, in tuto penitus navigare.

§. XXII.

De jure leges ferendi civiles pariter ac criminales.

Cum Senatu ſuo Gubernator totam regens Indiam leges quoque condit civiles, ut & criminales atque ædilitias, quæ quidem juri communi ab OO. GG., eorumque nomine a Moderatoribus, ibi conſtituto non derogant, ſed pro temporum diverſitate re-

(119) Confer. formula ſacramenti a Gubernatore præſtandi, quod exſtat *Groot Pl. Boek* 3. *D. p.* 1324.

(120) *Oud en Nieuw Ooſt-Indiën* 4. *D.* 1. *Stuk p.* 263. ubi de Gubernatore Generali ita ſcribit „ *Zyn adem gaat over alles en zelvs over de minſte zaken; hy wert* „ *van alle bedienden der Ed. Maatſchappy, groot en kleen, vooral op Batavia, als aangebeeden; ieder doet zyn best maar om in zyn gunſt te ſtaan, en niets geſchiet 'er van* „ *deeze of geene in de Stad, dat hy niet weet, op zyn bloote bevel word alles aanſtonds* „ *uytgevoert, en die in zyn ongunſt geraakt is zo goed als bedorven, gelyk een gunſteling* „ *van zyn Edelheid een behouden man is* ".

rerumque circumſtantiis illud ſupplent; id quod per legum ſenſim ſenſimque ibi latarum collectionem probatur. Quæ ſi non, uti fit, nomine OO. GG., in dies aliæ ferrentur, peſſima profecto foret rerum Indicarum conditio. Abunde namque conſtat, in quavis Civitate quotidie ejusmodi oriri cauſſas, quæ novarum Legum lationem deſiderare videntur. Eſt enim nota juris regula, neque Leges, neque Senatus Conſulta, ita poſſe ſcribi, ut caſus, qui quandoque inciderint, omnes comprehendantur, & ideo de his, quæ primo fuerunt conſtituta, aut interpretatione, aut conſtitutione Principis, aliusve ejus auctoritate, nova certius quid eſſe ſtatuendum (121). Quo jure & Gubernatorem Generalem ſæpius uſum fuiſſe, ubique eſt videre, non tantum, una alterave lege edita, verum & univerſæ Indiæ Rectorem VAN DIEMEN integrum Legum codicem conſcribere inſtituiſſe, ab eo tamen ad finem perduci non potuiſſe, legimus. Feliciori autem ſucceſſu illud negotium poſtea ſuſcepit Gubernator MAATZUIKER, qui integrum legum compendium compilari juſſit, quod nomine ſtatutorum Bataviensium vocatur (122).

§. XXIII.

De jure remittendi crimina.

Cum præcipuus, quin & unicus pœnarum finis recte habeatur utilitas Civitatis publica, per amotionem ſcilicet futurorum malorum con-

(121) *L.* 10 *&* 11. *D. de legib.*
(122) DU BOIS *Vies des Gouv. Gen. des Indes p.* 134 *&* 217.

conſervanda, obtinenda, ut læſis ceterisque ſociis in futurum proſpiciatur, ſive per ejusmodi pœnam, qua lædens poſſit emendari, ſive tantum, ut per malum, quod ipſi infligitur, reliqui cives a delinquendo abſterreantur. Cum hic ſit finis unicus, quem per pœnarum inflictionem ſummi Rerumpublicarum Rectores intendant, probatu quoque non difficile foret, & varias ob cauſſas ab utilitate itidem publica, cujus penes ſolum Principem judicium reſidet, petendas, facultatem has remittendi eidem Civitatis Capiti minime eſſe denegandam (123). Uti autem harum pœnarum conſtitutio, ita & remiſſio, ad nullum niſi Principem, proprio jure, poteſt pertinere. Hinc non ita expedita videtur quæſtio: an & magiſtratui veniam delinquentibus concedere liceat? Affirmat MATTHÆUS (124) hoc magiſtratui, præſertim cui criminalis jurisdictio, vel ſaltem cui leges ferendi poteſtas tradita eſt, ex tacita vel expreſſa Principis delatione competere. De expreſſo conſenſu nullus eſt, qui dubitet; poteſt enim ſummus Imperans illud jus, in quibusdam caſibus, ſuis largiri miniſtris; verum de tacita conceſſione non ita conſtat. Nam videtur aliquid in eo deeſſe argumento: Princeps cuiquam dedit jus puniendi facinoroſos, quin & leges ferendi criminales, ergo & videtur dediſſe facultatem concedendi delicti veniam, licet MATTHÆUS hoc argumentum omni dubitatione majus exiſtimet. Fateor quidem Principem, qui ſua auctoritate legem condit, eam etiam tollere, vel in ſpeciali caſu ſupprimere, poſſe. Sed de magiſtratu, qui tantum,

(123) H. GROTIUS *de J. B. & P. L.* 2. *C.* 20. COCCEJUS *in Comment. ad H. Grotium d. l.* & PETRUS BORT *van Crimineele Zaken Tit.* 12. *Num.* 3.

(124) *De Nobilitate L.* 2. *C.* 4.

tum, nomine Principis, quodcunque facit, peragit, qui legum cuſtos merito & ſervus dicitur, qui non ita libere de lege, etiamſi a ſe facta, diſponere poteſt, ut, quandocunque libeat, pœnam, quam ea definivit, huic illive remittere poſſit, de magiſtratu, inquam, idem, quod de Principe verum eſt, ne dicamus, ſatis validaſuadet ratio. Magiſtratus enim eſt mandatarius Principis, qui dum punire mandavit, legemque ferre pœnalem, ulterius procedendi veniam ei non videtur conceſſiſſe. Igitur intra mandati terminos ſeſe contineat mandatarius oportet, quos exceſſiſſe ei jure vitio vertitur, præſertim ſi de Regalibus agatur majoribus, quale hoc noſtrum, de quo diſputamus, utique habendum eſt (125). Talia enim mandare Principes parciſſime ſolent, eorum exercitium in alium contuliſſe nunquam præſumuntur, ſed qui ea in ſe collata allegat, ſolidiſſime aſſertum illud demonſtrare tenetur.

Habemus, præter alios, hac in theſi nobiscum ſentientem Voetium (126), qui, ubi primum oſtendit ſuam ex Jure Romano de hac noſtra quæſtione doctrinam, ſolito more, de Jure Belgico ſollicitus, ita infit: „ *moribus quoque hodiernis penes ſolos Majeſtate* „ *præditos ea poteſtas eſt, veluti in Hollandia penes Ordines Hol-* „ *landiæ, ſicuti & penes aliarum Provinciarum Ordines ratione ſui* „ *territorii; nec non penes Ordines Generales reſpectu regionum il-* „ *larum; quæ eorum Imperio extra ſeptem Provincias ſubjectæ ſunt,*

„ *etiamſi*

(125) Coccejus *in Comment. ad H. Grotium de J. B. & P. L.* 2. *C.* 20. §. 24. *N.* 2.

(126) *In Comment. ad tit. D. de ſentent. paſſ. & reſtit. Num.* 1. & Bort *van Crimineele Zaken Tit.* 12. *Num.* 15. *ſeqq.* Bynkershoek *l. c.*

„ *etiamſi remotiſſimæ ac in India, aut penes eum, cui tanquam Gu-* „ *bernatori hanc voluerint poteſtatem delegare*". Quæ ultima verba de noſtro Gubernatore Generali minime ſunt accipienda, ſed unice ad Celſiſſimos Principes Arauſiacos, Hæreditarios noſtrarum Provinciarum Gubernatores referenda ſunt, ut ex toto ſermonis contextu apparet, & clariſſime eſt videre ex locis a Voetio allegatis (127).

Poſitis hiſce principiis ſtatuimus, eam, quæ nulli magiſtratui, nulli Principum miniſtro, niſi expreſſa delata, competat, crimina remittendi poteſtatem nec Gubernatorem Generalem ſuo jure ſibi poſſe arrogare. Quod utique convenit cum conſtitutione expreſſa, quæ hac de re exſtat (128). Anno ſcilicet 1650. in Indiam generalem officiorum juriumque formulam, Gubernatori & Senatoribus præſcriptam, miſerunt Moderatores, qua diſerte ſtatuitur, primo, Gubernatorem Generalem, neque ſolum ſua auctoritate, neque cum approbatione Senatorum, ullas poſſe ſententias a Senatu Judiciario latas infirmare vel mitigare, & nihil penitus contra eas poſſe ſtatuere. Deinde additur,

Se-

(127) *l. c. Groot Pl. Boek* 2. *D. p.* 2389. & Bort *l. c. Num.* 59.

(128) *Generale Inſtructie Art.* 151 & 152: ubi in fine notanter dicitur: „ *be-* „ *houdens nogtans den Gouverneur Generael en de preſente Raden van Indiën, Collegiali-* „ *ter (beſtaande in compleete vergadering) aan haar de remiſſien of te pardonneren in za-* „ *ken, waarvoor de delinquanten over misdaat ter dood verweezen zyn,* ENDE ANDERS „ OFTE VERDERS NIET, *zonder dat de Gouverneur Generael* TEGENS HET „ ADVYS VAN DE RADEN *op eygen authoriteyt daarinne zal mogen disponeren,* „ *maar gehouden weezen te volgen het geen by de meeſte ſtemmen van 't Collegie gereſol-* „ *veert ende geconcludeert zal werden*". Ex quibus verbis etiam videtur probari, quod ſupra XIII. in fine ſtatuimus, Gubernatorem Generalem, etiamſi ab omnibus Regentis Senatus membris diſſentiret rem ſuo periculo ſuſcipiendo effectui dare poſſe; quare enim, obſecro, illud jus hic expreſſe denegaretur, ſi nec in ceteris eo uti liceret?

Senatorum imprimis eſſe cavere, ſi Gubernator, ipſis inſciis vel invitis, veniam cuiquam, quocunque etiam caſu, conceſſerit, ne ejusmodi remiſſio rata habeatur; ſed protinus eam eſſe reſcindendam, & unice delinquenti, qui a Senatu Judiciario morte damnatus eſt, Gubernatorem una cum omnibus Senatoribus poſſe gratiam facere. Utrum ea ſit facienda, an ſecus, de eo ſtatuendi non major poteſtas eſt Gubernatoris, quam ceterorum, ſed ex plurimorum ſententia illud erit decernendum.

§. XXIV.

De Regimine Eccleſiaſtico.

In omni Societatis territorio nulla niſi Reformatorum Chriſtianorum dogmata docentur, (129), nulliusque Chiſtrianæ Eccleſiæ, niſi Reformatæ, ſociis ſacri cultus exercendi libertas datur. Quin & ſi forte Romanenſes Clerici aliarum Nationum navibus eo delati detegantur, ſtatim ac ſine mora cuſtodiæ, honeſtæ quidem, ſed arctiſſimæ, traduntur; ne ita ſuæ religionis præcepta divulgent. Verum ubi ſocietas nullam terræ partem poſſidet, ſed mercatorum inſtar ſuos tantummodo alit inſtitores, plane alia eſt rerum facies.

Ibi enim, præter Ethnicos & Mohumedanæ Religionis aſſeclas, Pon-

(129) VISSCHER *Mallabaarſche Brieven 20ſte.Briev p.* 258. quæ Epiſtola tota legi meretur, utpote quæ ſacrorum in India ſtatum accurate explicat; conferri etiam poſſunt JANIÇON *Etat preſent de la Républ. des Prov. Un. P.* I. *C.* 12. *p.* 357. & IMHOFF *Conſidérations ſur l'Etat préſent de la Comp. Holl. des Indes Orient. C.* 17. *Le Commerce de la Holl. P.* 3. *p.* 289.

Pontificii plerumque dominantur. Gens ea namque inculta, Idolorum cultui aſſueta, purioribus noſtris doctrinis, Romanorum Catholicorum diſciplinam multis partibus præſtantiorem eſſe, facillimo negotio ſibi perſuadet.

Bataviæ complura magnifica reperiuntur templa, duo, in quibus vernacula nobis lingua ſacræ habentur orationes. Quorum unum intra arcis Batavienſis, Gubernatoris domicilii, muros, illudque minimum, exſtat; alterum multo capacius in media urbe eminet. In quibus non tantum die Solis, ſed aliis quoque temporibus, ter ſingulis hebdomadibus, docent Verbi Divini Miniſtri Reformati. Duo etiam dantur ædificia, ubi Portugallico, unum tandem, in quo Malæorum ſermone, Sacri Codicis doctrinæ panduntur. In reliquis inſulis, continentisque terræ Regionibus, Societati ſubjectis, quinque, quatuor, tres, vel pauciores miniſtri ſunt conſtituti. Ne de ingenti eorum multitudine dicam, quos vocamus *Krankbezoekers*, quorum eſt, ſtatis temporibus, unum alterumve Sacri Codicis caput ſuis prælegere auditoribus.

Senatus Eccleſiaſticus Batavienſis, uti & reliquorum locorum, Miniſtris conſtat & Senioribus ac Diaconis; quorum hi ſeparati ſunt ab illis, quorum Concilio nunquam interſunt, niſi cum de morum puritate aut Eccleſiaſticarum perſonarum electione agitur. Quæ quidem electio, utpote Jus Collegiale, ad ipſam Eccleſiam proprie pertineret, verum, uti in plerisque terris, ita & in India primaria iſtæc æqualitas omnino eſt mutata. Nam Miniſtri ſingulis Eccleſiis, tam Bataviæ, quam alibi locorum, a Gubernatore Generali & Senatu Regente præpo-

nun-

nuntur. Senatus Eccleſiaſticus quidem ad iſtud munus quosdam ſolet nominare, ſed electionem, quin & nominandorum indicationem exercet Gubernator, cui & hac in re adſunt Senatores, quorum unus Senatui Eccleſiaſtico aſſiduo intereſt; cujus ſub moderamine non ſolum omnia in iſtac Urbe fiunt, quæ ſacrorum adminiſtrationem ſpectant verum & in aliis pariter Eccleſiis, quæ quotannis per Epiſtolas de rerum ſuarum ſtatu Batavienſem Senatum Eccleſiaſticum reddunt certiorem ac diligenter conſulunt. Gubernator etiam cum ſuo Senatu ſingulis annis unum pluresve miniſtros ad ea loca delegat, ubi tales, qui continuam gregis curam agant, Paſtores non inveniuntur. Ita ut omnia fere jura Eccleſiæ Indicæ Collegialia in Majeſtatica fuerint translata, quæ a Gubernatore Generali & Senatu, ſupremum Indiæ regimen referentibus, exercentur. Cujus juris univerſalis evidentisſimum proſtat exemplum in Gubernatore VAN DIEMEN, qui Anno 1643. univerſam Eccleſiaſtici Ordinis formulam concinnavit ac promulgavit (130).

§. XXV.

Concluſio.

Hæc ſunt, B. L., quæ hac de materia in lucem edere deſtinavi. Ex quibus, niſi totus fallar, abunde conſtat, ampliſſimam eſſe Gubernatoris Generalis poteſtatem, & jurium atque officiorum, quibus pollet atque obſtringitur, complexum adeo mirum eſſe & inſolitum,

(130) DU BOIS *Viës des Gouv. Gen. des Indes p.* 134.

tum, ut ex toto antiquitatis oceano ſimile exemplum, quod non claudicaret, plane nullum poſſit allegari. Sive enim quis, ut hoc utar, Dictatorem, ſive Proconſulem Legatumve, ſive Provinciarum Præſidem allegaret, multum ſane diſcriminis inter horum, & Gubernatoris Generalis, munera ſupereſſet. Quare hoc thema tractaſſe Lectoribus, ſi qui dantur, non injucundum, mihi non inutile fore exiſtimavi. Nullus autem dubito, quin ſi ope & auxilio eorum, qui rebus Societatis quotidie interſunt, aliquantulum adjuvari mihi licuisſet, lectu digniora attuliſſem. Verum, quæ hac in re mihi plurimum prodeſſe poterant, cum inter arcana Societatis tegantur, ea, uti plerisque, licet Viris eruditione & fama celeberrimis, ita & inexperto juveni non tam facile creduntur. Quoties igitur hic illic mutandum, ſupplendumve tibi, B. L. quid occurrat, æqui bonique conſule.

Si autem qualicunque hoc ſpecimine mihi obtigerit, pluribus placere, impenſe gaudebo: ſi quibusdam, gratum erit: ſi vel uni, eique rerum æquo arbitro, admodum ea comprobatione contentum impenſi laboris me nunquam pœnitebit.

T A N T U M.

THESES.

THESES.

I.

Omnia jura hominum ſunt imperfecta, quatuor tantum exceptis (jure ſcilicet conſervandi vitæ & corporis incolumitatem, libertatem, poſſeſſionem ac dominium, & eo denique, quod pactis acquiſitum eſt), quæ dicuntur perfecta. Quam jurium non tantum, ſed & officiorum, diſtinctionem in perfecta & imperfecta *Naturæ convenire, defendo.*

II.

Quoniam requiſita pacti validi in pactis metu extortis omnino adſunt, cum iis eſt faciendum, qui hæc Jure Naturali valida eſſe contendunt.

III.

Monopoliorum exercitium Juri Naturæ non adverſatur, nec veris Ethices præceptis ſemper eſt contrarium ac prudens ejus a Principe conceſſa venia cum ſalute civitatis publica quandoque convenit.

IV.

Si ab omni jure poſitivo diſcedamus, & ad ea tantum, quæ in criminis æſtimatione ſunt computanda, attendamus, conatus, qua talis, eadem pœna, ac delictum conſummatum, nunquam eſt puniendus.

V.

Cum præſtet judicia pluribus, quam uno, conſtare judicibus, ob ſimilitudinem rationis, par judicum numerus, præſertim in criminali judicio, videtur impari præferendus.

VI.

Sententiam Grotii de J. B. & P. L. 1. C. 3. §. 12. *propoſitam minus ſolide defendunt, qui Bona Patrimonialia cum Regnis Patrimonialibus confundunt. Horum itaque ratiocinio non moveor, ut veriſſimam aliorum reprobem ſententiam, qui ſtatuunt, diviſionem Regnorum in Uſufructuaria & Patrimonialia eſſe rejiciendam.*

VII.

VII.

Jus cives cogendi, ut militiæ nomen dent, quod jus preſſitus *dicitur, poſitis terminis habilibus, ſecundum Jus Imperii Eminentis Principi aſſerere non dubito.*

VIII.

Populus non habet jus partem invitam a ſe divellendi aut cedendi exteris, excepto hoc uno caſu, cum ejus defenſio inter ἀδύνατα *ſit referenda. Violavit itaque Belgarum jus* PHILIPPUS *II., Rex Hispaniæ, cum Anno* 1598., *ipſis haud conſentientibus, imperium ceſſit Iſabellæ ejusque poſteris.*

IX.

Singulis Populis, Unione Trajectina conjunctis, jus fœderum cum exteris pangendorum Articulo 10. *Fœderis Trajectini non videtur ademptum.*

X.

Luitio pignoris etiam Jure Romano eſt res meræ facultatis.

XI.

Sola debiti cum uſuris oblatio a debitore creditori facta, illum non liberat a præſtatione uſurarum.

XII.

Sententia eorum, qui putant clauſulæ, quam reſervatoriam vocant, nullam eſſe vim, niſi in tenuibus quibusdam legatis, in pios uſus aut ex commiſeratione relictis, juris auctoritate & ſufficienti ratione deſtituta videtur. Eam potius in Jure Romano fundatam magna vi pollere, cum BYNKERSHOEKIO Quæſt. Jur. Priv. L. 3. C. 4. *ſtatuendum exiſtimo.*

XIII.

Qui vulnus mandavit, eum non teneri de cæde, ſine ulla reſtrictione affirmari poſſe autumo; vulnus enim lethale excipiendum eſſe vix eſt, quod moneatur.

XIV.

Furioſus ob delictum ante furorem commiſſum puniri non poteſt.

XV.

Jus tranſigendi de crimine publico tam capitali, quam non capitali proprie, neque reo, neque actori competit. Sed illi, ſi ſanguinem ſuum qualiter qualiter redemptum voluit, eatenus ignoſcitur, ut ea transactio ipſi non noceat: quod ad accuſatorem non poteſt extendi.

3187N
18My70